CONCILIUM

PROVINCIÆ

AVENIONENSIS.

CONCILIUM

PROVINCIÆ

AVENIONENSIS,

AVENIONE HABITUM

ANNO DOMINI MDCCCXLIX MENSE DECEMBRI,

IV AUTEM PONTIFICATUS

PII PAPÆ IX.



AVENIONE,

L. AUBANEL. Typ. Illustr. ac Rever. DD. Archiepiscopi.

MDCCCLI

INDICTIO

CONCILII PROVINCIALIS

AVENIONENSIS.

JOANNES MARIA MATHIAS,

Dei et Apostolicæ sedis gratia, Archiepiscopus et Metropolita.

Ex quo a Supremo Pastore et Beatissimo Patre Nostro Pio IX huic Sedi Metropolitanæ, licet immeriti, præfecti sumus, nihil tam muneri sacro quo fungimur consentaneum, nihil adeo gratum Coepiscopis Nostris, nihil quoque ædificationi Cleri et populi magis necessarium fore intelleximus, quam ut, majorum nostrorum morem renovantes, præceptis canonicis, sacram hujus Provinciæ Synodum celebrando, obsequium præstaremus.

Urgent nos summopere illa verba Patrum Concilii Tridentini quibus admonemur ne *Provinciale Concilium pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis, quolibet saltem triennio*, cogere non prætermittamus. (CONCIL. TRIDENT. sess. 24. *De Reformat.* cap. 11.)

Ad persolvendum hujusmodi tantique momenti Officium Nostrum, movent Nos suadentque exempla Archipræsulum aliarum Provinciarum, qui sacra id generis comitia ad optatum finem jam feliciter perduxerunt.

Huc etiam accedit rerum publicæ conditio quæ liberam Nobis pandit viam ut hoc ministerium dignitatis Nostræ exerceamus.

Cum etenim mos, qui fuit ab initio, ut Episcopi in unum congregarentur ad tractanda negotia ecclesiastica penitus apud nos antiquatus videretur; quasi ex unanimi populorum conspiratione licentia facta est ut inter Nos conveniremus, Dei quidem optimi et miserentis Salvatoris nostri gratia qui vincula nostra dignatus est solvere.

Hæc maxime animum nostrum delectant, Deoque debitas gratias ex intimo affectu agimus qui est auctor pacis, quique providentissima sua bonitate, Ecclesiæ suæ reddidit libertatem.

Nacti ergo tam opportunam hanc occasionem fidem catholicam tuendi, mores christianos fovendi, sacrorum Canonum observantiam promovendi, huic Provinciæ Avenionensi constitutiones tradendi quibus, propter novam recentemque circumscriptionem a Pio VII factam, carebat, hanc prætermittere, aut negligere non possumus.

Quapropter, præmonitis per Epistolam Reverendissimis

Episcopis comprovincialibus Nostris, eos iterum præsenti edicto in hanc Ecclesiam Metropolitanam Avenionensem convocamus ad diem octavam mensis Decembris in qua celebratur Conceptio Immaculatæ Beatæ Mariæ Virginis.

Insuper universis qui de jure vel consuetudine Provinciali Synodo interesse tenentur significamus, mandamus et præcipimus ut remoto quovis excusationis prætextu, in hanc civitatem prædicta die conveniant, quos omnes in Domino admonemus ut cogitent quibus pœnis canonicis afficerentur qui jussa Nostra in hac parte contemnerent.

Jam autem cum omnis sufficientia nostra ex Deo sit, qui est fons a quo omnia bona procedunt, ad eum cum omni fiducia confugiamus necesse est, ut publicis privatisque precibus sapientiæ, scientiæ, fortitudinis, charitatisque subsidia suppeditet, quibus adjuti firmiori zelo et alacri animo opus pro ejus gloria susceptum perficiamus.

Datum Avenione, die tertia Novembris Anni 1849, sub signo sigilloque nostris et Secretarii nostri subscriptione.

† J. M. MATHIAS, *Archiepiscopus Avenionensis.*

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi
D. D. Archiepiscopi Avenionensis,

Ollivier, *Can. hon., Secretarius.*

DE APERIENDA SYNODO.

In Nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos Joannes Maria Mathias Debelay, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Sanctæ Ecclesiæ Avenionensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ad honorem Beatissimæ Immaculatæ semperque Virginis Mariæ Dei Genitricis hujus Ecclesiæ Patronæ, ad Ecclesiæ catholicæ decorem decernimus, de consilio et consensu Reverendissimorum Coepiscoporum nostrorum hoc ipso die mensis Decembris octavo, initium fieri, atque adeo factum esse Concilii Provincialis quod, Nostra metropolitana auctoritate, indiximus denuntiavimus et promulgavimus.

DE MODO VIVENDI IN CONCILIO.

Nos Joannes Maria Mathias Debelay, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Avenionensis.

Reverendissimos Episcopos, Fratres Nostros, qui in hoc adsunt Concilio, obsecramus per Dominum Nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus Sancti, ut omnes pietatis opes, omnesque Episcopalium virtutum facultates

quarum ubertate circumfluunt, in commune ad spiritualia hujusce Provinciæ commoda simul conferant.

Imprimis vero illius memores Beati Jacobi Apostoli sententiæ, quod omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, qui postulantibus a se sapientiam dat omnibus affluenter; sanctissimis precibus Conciliares istas actiones, quas hodierna die aggressi sumus adjuvare studeant, ut quod Spiritus Sanctus incœpit hoc ipse perficiat.

Et siquidem omni tempore oportet Episcopos irreprehensibiles esse, et omnimodæ sanctitatis exempla præbere, tunc vero maxime cum Synodum celebrent, ubi pie religioseque vivendi leges cæteris de eorum consilio præscribuntur.

Omnes etiam Clericalis ordinis viros monemus, atque per viscera misericordiæ Dei obtestamur, ut vitæ innocentia et integritate, fide, religione et pietate, omniumque virtutum ornamento præluceant, atque Concilio suis orationibus et sacrificiis divinum impetrent auxilium, mentibus nostris gratiæ lumen expostulantes, ut optima suscipiamus consilia, salutaria sanciamus, et sancita fideliter implere valeamus.

Præterea civitatis Avenionensis incolas, quorum et totius Provinciæ gratia, conventum hunc celebramus, paterno animo adhortamur ut christianæ pietatis operibus et officiis sese dedant impensius, ut sobrie, caste et juste vivere satagant, eleemosinas in pauperes abundantius effundant, frequentius pœnitentiæ sacramento utantur, sacram synaxim peragant et ita sibi Nobisque uberrimos gratiæ fructus consequantur.

Commendamus denique ab omnibus fieri obsecrationes, orationes, pro Ecclesia sancta Dei, pro Beatissimo Papa

nostro Pio, pro Episcopis in hac Synodo congregatis, pro cunctis populis Christianis et pro omnibus hominibus, ut omnes in hac charitate radicati, pacem foveant, sectentur justitiam, quæ sunt Christi sapiant et quærant unanimes.

Iterum vero Reverendissimos Episcopos Fratres Nostros obtestamur, ut omnes ad gloriam Dei et animarum salutem unice conspirantes, cum modestia et lenitate animi, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune, servato ordine, proferant opiniones in actionibus, sive privatæ illæ sint, sive publicæ.

Tandemque inanem gloriam, contentiones, jurgia, Episcoporum cœtu exulare oportet. Omnes igitur in Spiritu humilitatis accedant, superiores sibi invicem arbitrantes : quod ut felicius assequamur, in qualicumque ordine quisque compareat et consedeat, salva illius jura decernimus.

Quoniam autem ad hujus Concilii progressionem nonnulli adjutores et ministri requiruntur, constituimus :

Promotorem : Dominum Martin, vic. gen. Avenion.

Vice-Promotores : D. D. Caylus, can. Monspes., Couderc, can. Nemaus.

Secretarium : D. Peyre, vic. gen. Avenion.

Sub-Secretarios : D. D. Durand, can. Monspes., Dabert, vic. gen. Vivariens., Jouve, can. Valent.

Magistrum Cæremoniarum : D. Casiot, Paroch. S. Agricol. *in urbe.*

Adjutorem M^tri Cærem. : D. Crevoulin, Direct. Schol. Eccles. Metrop.

Notarios : D. D. Privat, can. Nemaus., Mayaud, can. Vivariens.

Deinde sub pœnis a jure statutis, inhibemus ne quis Episcoporum, ut eorum qui Provinciali huic Synodo interesse debent, ex civitate Avenionensi discedere præsumat, nisi discessus causa a Concilii Patribus cognita, a Nobis approbata, ac legitimo deinde procuratore suffecto.

DE PROFESSIONE FIDEI.

Cum fides initium sit et fundamentum salutis, atque inter omnia pastoralis muneris officia illud primum ac potissimum esse debeat, ut Fides Catholica quam sancta Romana Ecclesia colit ac tenet, incorrupta in hac Provincia, sinceraque semper vigeat, nos in hac nostra Synodo Provinciali hinc præcipue exordiendum esse duximus, ut eamdem sanctam Catholicam Fidem quam corde credimus, una oris professione profiteamur. Quocirca sacri Concilii Tridentini Decretis insistentes, Professionem fidei Pii IV Pontificis Maximi constitutione acceptam atque promulgatam, a Nobis et Reverendissimis Coepiscopis, cæterisque in hoc Concilio insidentibus, palam et publice emittendam decernimus.

FORMA PROFESSIONIS

Fidei Catholicæ Apostolicæ et Romanæ.

Ego N..... firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet :

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta Novæ Legis, a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis ne-

cessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine sacrilegio iterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto.

Omnia et singula quæ de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi; fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia TRANSUBSTANTIATIONEM appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero Imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia

relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco : Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia a Sacris Canonibus, et Œcumenicis Conciliis, ac præcipue, a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor : simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et prædicari quantum in me erit curaturum. Ego idem N..... spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia.

DECRETA

CONCILII PROVINCIÆ AVENIONENSIS

AVENIONE HABITI

ANNO DOMINI MDCCCXLIX MENSE DECEMBRI,

IV AUTEM PONTIFICATUS

PII PAPÆ IX.

SUMMO PONTIFICI PIO IX.

Provinciæ Avenionensis Episcopi in Concilio congregati Reverendissimo Præsidi Archiepiscopo Metropolitæ consentientes, ante omnia profitentur officium esse suum, solemnes Deo misericordiarum Patri, ejusque Filio Jesu Christo

gratias agere, ob insigne hujus Synodalis, secundum antiquam Ecclesiæ formam, sub ductu Spiritus Sancti habitæ conventionis beneficium. Præsentiam enim Spiritus Sancti, ut aiebat olim Beatus Papa Cœlestinus, testatur Congregatio Sacerdotum. Quis autem tanto nomine dignus Episcopus non intime gaudeat, non totis exsultet præcordiis, quod tam longo temporum tractu interruptam Sacrorum Conciliorum seriem ex insperato resumi et instaurari, *sanctaque plebis ecclesiasticæ Comitia* (¹) in quibus *alta* quæque et difficilia et ad fidei exaltationem utilia *in commune tractantur*, fas sit tandem aliquando celebrari! Certe *digitus Dei est hic* (²), nec ulli sanctam Fidem Ecclesiamque diligenti non exclamandum, *quia Deus visitavit plebem suam* (³).

Verum etiam Nos ad Sanctam Petri Sedem, unde in Christianam Rempublicam quæcumque bona, quæcumque prospera, Deo favente, promanant, respicere memoresque erigere animos condecet. Huic igitur Apostolicæ Sedi et sacro Ecclesiæ vertici tantæ felicitatis originem referendam agnoscimus. Illius monitis, illius venerandis suasionibus et præceptis, in Synodum convenientes, obtemperamus, *qui Ecclesiæ Dei præcipuam curam gerens, velut communis omnium Episcopus a Deo constitutus ministrorum Dei* præsenti tempore in Galliis *concilia* congregat (⁴).

Quapropter ad hanc Petri Cathedram humili et amantissimo animo conversi, alta voce cum sacræ Florentinæ Synodi Patribus confitemur: *Sanctam Apostolicam Sedem*,

(¹) Tertull. de Jejunio.
(²) Exod. 8. 19.
(³) Luc, 1. 16.
(⁴) Euseb. de vita Constantini, l. 1, c. 44.

et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Et hanc libentissime confessionem emittimus, antiquis retro, et peculiariter hujus nostræ Galliæ Cathedræ Petri semper addictissimæ, Patribus consonantes, cum Beato Ireneo Lugdunensi in eo *potiorem principalitatem* agnoscentes, *ad quam omnem Ecclesiam convenire necesse est;* et cum Beato Hilario Pictaviensi, Petrum *nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignamque ædificatione illius petram quæ infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret*, factum esse (1).

Verum non solum Apostolicæ Sedi et ipsi Romano Pontifici fidem, obsequium et reverentiam cordis nostri obtestamur, sed etiam in egregium Pontificem Pium IX, qui nulli decessorum suorum impar, hodierno tempore principalem Ecclesiæ Cathedram exornat summis virtutibus ac meritis, nostræ pietatis et venerationis testimonium exhibere operæ pretium est. Beatus certe non solum quod per os ipsius, quam *non revelavit caro et sanguis sed Pater qui in cœlis est* (2), confessio Petri in universo mundo personat, sed quod *communicans Christi passionibus* (3) ipse quoque per crucem exaltatur ut omnia pertrahat ad Chris-

(1) Sancti Hilari. comment. in Matth. 16.

(2) Matth. 16.

(3) 1 Petr. 4.

tum. Beati pedes evangelizantis bonum, annuntiantis pacem et ideó extra civitatem exsulantis. Beatum caput tot angustiarum spinis circumdatum, cui *quæ Christo sunt potestate et infirmitate propria, sunt ipsi cum illo participatione communia* [1].

Sic a diebus antiquis consecratus est Summi Pontificatus apex; sic veneranda omnibus seculis effecta est prima illa sedes in qua totam doctrinam cum sanguine Petrus, et postea tot ac tanti Pontifices profuderunt. Lacrymas simul et gaudia miscent Catholici ubique terrarum Episcopi tot Patris omnium fidelium doloribus commoti, tanta mentis placiditate animique constantia recreati: illamque ipsi benedictionem a Pastorum Principe repromissam, votis omnibus adprecantur: *Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos et exprobraverint et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis; gaudete in illa die et exsultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlo: secundum hæc enim faciebant Prophetis* [2].

(1) St Leo.
(2) Luc. 6. 22.

TITULUS PRIMUS

DE FIDE CATHOLICA.

CAPUT PRIMUM.

Professio fidei a quibus emittenda sit.

Concilii Tridentini Summorumque Pontificum auctoritate innixi, obstrictos declaramus, aut obstringimus ad publicam orthodoxæ fidei professionem, juxta formulam a Pio IV præscriptam, eos qui ad Concilia Provincialia et Synodos diœcesanas accesserint, Vicarios Generales cum primum assumuntur, Canonicos, Parochos inamovibiles, et etiam Parochos ad nutum Episcopi amovibiles, eamque ab his renovandam toties quoties novæ parochiæ inibunt possessionem. Tandem eodem præcepto tenentur omnes qui præficiuntur Seminariis Gymnasiisque ecclesiasticis, insuper illi qui in hisce domibus promoventur ad munus sacram theologiam ac philosophiam docendi, necnon omnes singulis scholis vulgo dictis *Ecoles primaires* præsidentes, sive ad congregationem *Fratrum scholarum Christianarum* dictam, sive ad alias hujusmodi congregationes pertineant, qui hac in Provincia munus suum exercent.

CAPUT SECUNDUM.

De obedientia Ecclesiæ et Sanctæ Sedi debita.

Fides Catholica Decretis Conciliorum universalium et Constitutionibus dogmaticis SS. Pontificum definitur ac sancitur. Sacris quidem Scripturis atque Traditione continetur; sed ad eos pertinet eam declarare, quos Ecclesiæ conditor Christus sic allocutus est : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam..... Docete omnes gentes..... Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi :* quibus verbis Petro præcipue et Apostolis eorumque Successoribus, ad quos ipsa spectant, collata fuit hæc potestas. Promissa illa numquam non stetisse, hancque potestatem semper viguisse testantur Annales Ecclesiastici. Porro hæc potestas de doctrina decernendi tunc potissimum exercetur ab Episcopis, cum, ut pleniore judicio omnis error possit aboleri, sunt undique congregati in unum, convocante, præsidente, eorumque sententiam confirmante summo Pontifice. Tunc enim magnifice veraciterque dicunt : *Visum est Spiritui Sancto et Nobis.* Unde, ut ait S. Cœlestinus : *Spiritus Sancti testatur præsentiam congregatio sacerdotum;* et prout professus est Constantinus imperator : *Quod trecentis Episcopis visum est, non est aliud putandum quam Dei sententia : Quapropter nemo nostrum hæsitet, nemo moram interponat.* Hinc Gregorius Magnus quatuor Concilia generalia quæ jam celebrata fuerant, velut quatuor Evangelia se venerari testatus est.

Sæpius vero successor illius qui in Concilio Hierosolymitano dixit : *Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere* (1), sententiam profert ipsa principis Apostolorum auctoritate; nam ut ait S. Cœlestinus: *Petrus in sede sua semper vivit et præsidet. Ad Ecclesiam Romanam*, teste Ireneo, *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles*, illiusque auctoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia et universales semper Synodi amplectentes, in cunctis sequutæ sunt.

Memoranda est imprimis fidei formula cui Patres Concilii VIII subscripserunt : « In Sede Apostolica immaculata » est semper Catholica reservata religio et sancta celebrata » doctrina..... Ab hujus ergo fide atque doctrina separari » minime cupientes, et Patrum et præcipue sanctorum Sedis » Apostolicæ Præsulum sequentes in omnibus constituta... » Quoniam sicut prædiximus sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et observantes ejus omnia constituta speramus, ut in una communione quam sedes Apostolica » prædicat esse mereamur, in qua est integra et vera » Christianæ Religionis soliditas, promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiæ Catholicæ, id est non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non » recitanda esse mysteria. »

Ex quibus facile dignoscitur omnes qui Catholico nomine censentur, arctissimo teneri officio Ecclesiam audire quæ ipsis veram fidem doctrinamque a Christo acceptam proponit et credendam indicit, ac deberi decretis Conciliorum genera-

(1) Act. 15, 7.

lium, et Constitutionibus SS. Pontificum de doctrina fidei decernentium, plenam et absolutam mentis et oris obedientiam: unde docendi sunt fideles hoc officium, et ad illud libenti animo, prout Christi discipulos et Ecclesiæ filios decet, obeundum incitandi, ipsis etiam proposita, quam subituri sunt omnes refragantes et increduli, pœna æterna.

Non potest autem Synodus non vehementissime deplorare tam multos ex Christianis prave, circa illud fidei obsequium Christo et Ecclesiæ præstandum palamque exhibendum, affici. Namque innumeri extant, non modo fidei quam in Baptismo susceperunt atque professi sunt, incuriosi omninoque immemores, doctrinam Christi et auctoritatem Ecclesiæ contemnentes, sed etiam ei renitentes, præfracte adversus eam insurgentes, bellumque acerrimum gerentes, quorum perversitatem ad vivum depingit Gregorius XVI in Encyclica : *Mirari*, 15 *Augusti* 1832.

« Errores omnis generis disseminantur audacter. Non » leges sacrorum, non jura, non instituta, non sanctiores » quælibet disciplinæ tutæ ab audacia loquentium iniqua. » Vexatur acerrime Romana B. Petri Sedes in qua posuit » Christus Ecclesiæ firmamentum, et vincula unitatis in » die magis labefactantur. Divina Ecclesiæ auctoritas op- » pugnatur, ipsiusque juribus convulsis, substernitur ipsa » terrenis rationibus, ac per summam injuriam odio popu- » lorum subjicitur in turpem redacta servitutem. Debita » Episcopis obedientia infringitur, eorumque jura concul- » cantur, personant horrendum in modum Academiæ ac » Gymnasia novis opinionum monstris, quibus non occulte » amplius et cuniculis petitur Catholica Fides, sed horri-

» ficum ac nefarium ei bellum aperte jam et propalam
» infertur. Institutis enim exemploque præceptorum, cor-
» ruptis adolescentium animis, ingens religionis clades mo-
» rumque perversitas teterrima percrebuit. »

Tam infaustis calamitatibus cohibendis arcendisque pro virili parte invigilabunt Episcopi, summamque curam conferent, ut præstetur vera obedientia Litteris SS. Pontificum solemnibus, iis speciatim quibus errores nunc grassantes profligati fuerunt, quæque ab omni Ecclesia summo unanimique assensu, ut par erat, acceptæ sunt. Præcipua ex his hic paucis exponimus.

§ I.

EXCERPTA EX LITTERIS ENCYCLICIS PII IX.

SUMMUS PONTIFEX PIUS IX

In Encyclica : Qui pluribus... *data anno* 1846.

1° Invehitur in infensissimos Christiani nominis hostes, qui palam publiceque edocere non erubescunt commentitia esse et hominum inventa sacrosancta nostræ Religionis Mysteria; Catholicæ Ecclesiæ doctrinam humanæ societatis bono et commodis adversari, ac vel ipsum Christum et Deum ejurare non extimescunt. Et quo facilius populis

illudant atque incautos præsertim et imperitos decipiant et in errores secum abripiant, sibi solis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur, sibique philosophorum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia quæ tota in naturæ veritate investiganda versatur, ea respuere debeat quæ Supremus et Clementissimus ipse totius naturæ auctor Deus, singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem assequantur; hinc præpostero sane et fallacissimo argumentandi genere nunquam desinunt humanæ rationis vim et excellentiam appellare, extollere contra Sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant eam humanæ refragari rationi.

2° Confutat eos qui ratione abutentes, ac Dei eloquia tanquam humanum opus existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audent, cum Deus ipse vivam constituerit auctoritatem, quæ verum legitimumque cœlestis suæ revelationis sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei et morum infallibili judicio dirimeret. Quæ quidem viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quæ a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesiæ Caput, Principem et Pastorem, cujus fidem nunquam defuturam promisit, ædificata, suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem, in ejus Cathedra collocatos et ejusdem etiam doctrinæ, dignitatis, honoris ac potestatis hæredes ac vindices.

3° Damnat vaferrimas biblicas societates, quæ divinarum scripturarum libros contra sanctissimas Ecclesiæ regulas vulgaribus quibusque linguis translatos, ac perversis sæpe

explicationibus interpretatos,..... omnibus cujusque generis hominibus etiam rudioribus gratuito impertiri et obtrudere non cessant.

4° Proscribit horrendum de cujuslibet religionis *Indiffecentia* systema, et fœdissimam contra sacrum Clericorum cœlibatum conspirationem, et perversam in philosophicis præsertim disciplinis docendi rationem quæ improvidam juventutem miserandum in modum decipit, corrumpit, et infandam ac vel ipsi naturali juri maxime adversam de *Communismo*, uti vocant, doctrinam, qua semel admissa, omnium jura, res, proprietates ac vel ipsa humana societas funditus everterentur.

Nos igitur huic Sanctæ Sedis judicio inhærentes, prædictos errores damnamus ac reprobamus.

§ II.

Alii quidam errores a SS. Pontificibus damnati, ac præsertim quorum plures damnati sunt a PIO VI in Bulla : Auctorem fidei.

Damnati sunt a multis Summis Pontificibus plures alii errores erroribus modo enuntiatis ac reprobatis affines aut etiam consimiles, qui maxima ex parte, solemni Bulla *Auctorem fidei*, propriis notis et censuris configuntur. Hæc est autem eorum summa : Pastores a Christo per *Ecclesiam*, id est, per *communitatem* fidelium auctoritatem accepisse; inde sequi formam conciliariam esse in omni gradu Ecclesiæ signum et

viam præcipue naturalem et efficacem promovendæ vitæ Catholicæ, et sic intelligendam *Sanctorum Communionem*; presbyteros et laicos ad quascumque Episcoporum de rebus Ecclesiæ deliberationes admittendos; ortam esse super præcipuas religionis et christianæ disciplinæ regulas obscurationem, vigentemque hodie liturgiæ ordinem et totius disciplinæ præsentis normam Ecclesiæ exitium attulisse : itaque funditus reformandum esse jus canonicum, linguæ vulgaris usum in liturgicas preces inducendum, communionem Eucharisticam sub duplici specie restituendam, nec æqualem quoad fructum essentialem esse sine illa inter fideles et Sacerdotes Sacræ Mensæ participationem; Episcopos Ecclesiarum parochialium pastores immediatos ac veluti parochos esse constituendos; Seminaria quæ nunc existunt juxta Concilii Tridentini præscriptionem, non esse nisi scholas *ignorantiæ et falsæ pietatis;* plenam et absolutam, Ecclesiam inter et imperium, decernendam esse separationem.

Hæc et alia hujusmodi quæ nimia temeritate nonnulli effutiunt, nemo non debet vere Catholicus abhorrere, ut periculi plena, pietati adversa, Fidei et bono Christianæ Reipublicæ regimini minime consona.

§ III.

De damnatione sectæ mendaciter dictæ : OEuvre de la Miséricorde.

Dicendum nobis superest nunc de quadam secta paucis ab hinc annis in Gallia exorta, quam, sub titulo *Misericordiæ*, piorum sodalitiorum probatorumque institutorum nomen usurpare ausam, atque, ut potuit, contaminare, gloriosæ memoriæ Gregorius Papa XVI, Brevi ad Episcopum Bajocensem directo, 8 Novemb. 1843, sua auctoritate damnavit.

Sufficere quidem debuerat grave illud et summe reverendum Sanctæ Sedis judicium. Verum, quoniam ea est hæresis indoles, ut nonnisi repetitis fulminibus conflictata cedat, ad evertendam grassantem hanc in dies pestem, Concilii Patres nefariam doctrinam reprobare sui muneris esse arbitrati sunt.

Hæc sunt autem præcipua hujus impiæ societatis dogmata :

1° Mox futurum in Ecclesia tertium regnum, quod erit Spiritus Sancti, regno Filii Dei succedaneum.

2° Ecclesiam novis illustrandam revelationibus, ita ut veritates evangelicæ, nondum satis ab Ecclesia explicatæ, sua luce refulgeant, novaque manifestentur dogmata.

3° Nullum robur habere Pastorum definitiones et præscriptiones, nisi privato rationis examine probatæ fuerint.

4° Triplicem esse Angelorum conditionem, nempe eorum qui obstinati sunt in malo et in perpetuum damnati, alio-

rum antiquam rebellionem expiantium, sanctorum denique Angelorum in cœlesti gloria exsultantium.

5° Triplici substantia constare humanam naturam, nempe corpore, anima, ac spiritu angelico, supplicii et expiationis causa, in carnem demisso.

6° Præexistentes nostros spiritus in Adamo, et cum Adamo scienter, libere et formaliter peccato protoparentis consensisse, et in hoc consistere originale peccatum.

7° Beatissimam Virginem divinam esse, eo quod Dei spiritus emanatio sit, et de spiritu Dei spiritus ejus sumptus fuerit.

8° Insuper commentitia in vulgus spargit miracula, novumque apostolatum, ex laicis hominibus, imo et feminis conflatum instituit ac prædicat pestifera illa societas.

Hanc ergo, ejusque doctrinam, fœdam et exsecrandam errorum colluviem, jampridem ab Ecclesia profligatorum, præcipue in Conciliis OEcumenicis IV, V, VI et Lateranensi IV sub Innocentio III. et Tridentino, Patres Synodi Avenionensis damnant ac reprobant.

CAPUT TERTIUM.

De lectione et usu Scripturæ Sacræ.

Cum Scriptura Sacra sit verbum Dei, nemo fidelis non videt quanta exhibenda sit ei reverentia, et quam proinde detestanda sit temeritas, qua ad profana quæque convertuntur et torquentur illius verba atque sententiæ. Sed nunquam satis exsecrari possumus impiissimum illorum facinus hominum qui, nostra ætate, verba et facta Sancti Evangelii, ad pravos sensus detorta, allegant ad falsam libertatem vindicandam, ad mendacia jura asserenda, ad omnis ordinis publici vincula dissolvenda, ad auctoritatem labefactandam, ad seditiones, tumultus, rebelliones excitandas, fovendas, roborandas : *Pro luce*, ut ait S. Bernardus, *tenebras effundunt, et pro melle, vel potius in melle venenum propinant, novum cudentes populis Evangelium.*

Hæretici autem, instigante diabolo veritatis corruptore, nihil ad errores diffundendos præsentius efficaciusque existimarunt, quam Scripturarum Sacrarum libros vernaculis linguis translatos, privato judicio interpretatos, rudioribus obtrudere, ita ut doctrina perversa pro ipsissimo verbo Dei habeatur.

Fallacias dolosque hæreticorum aperiant pastores populis sibi commissis, summopereque caveant, ut abstineant a legendis versionibus labe hæretica infectis, vel suspectis aut non sat probatis.

Cum verbum Divinum, ut ait Origenes, sit nutritorium animarum, maximi momenti erit instituere, juxta veterem normam Theologalis officium, cui provincia demandetur clericis et fidelibus Scripturas Sacras explicandi.

CAPUT QUARTUM.

De lectione pravorum librorum.

Experientia constat perniciosissimam esse rectæ fidei bonisque moribus pravorum librorum pestem. Igitur a periculosissima illa lectione deterreantur fideles, eosque sæpius moneant rectores animarum, legibus Ecclesiæ gravissimis prohibitum esse ne emantur, legantur, retineantur libri a Sede Apostolica vel ab ipsis Episcopis damnati : Noverint quoque bibliopolæ Christiani iisdem legibus non sibi licere hujusmodi libros impios, hæreticos, obscenos typis mandare venalesque habere.

CAPUT QUINTUM.

De impressione librorum.

Nulli ex ordine Clericali liceat imprimere vel imprimendos tradere quosvis libros de Bibliis, dogmatibus, morali christiana et disciplina ecclesiastica tractantes, quin prius examinati atque probati fuerint ab Ordinario. Insuper quemlibet clericum hortamur ad subjiciendos eidem examini alios cujusvis argumenti libros, quos intenderit ipse typis mandare, ne incaute sibi noceat aut religioni.

CAPUT SEXTUM.

De bonis libris et de instituendo censorum Consilio.

1° Uti non liceat libris ad sacram doctrinam liturgiamque spectantibus, nimirum Bibliis, Catechismis, Missalibus, Breviariis, Ritualibusve nisi horum impressio sit ab auctoritate ecclesiastica approbata; attamen liceat uti hujuscemodi libris jam editis, modo constiterit doctorum atque sapientium hominum testimonio, nihil eos habere quod sit a recta fide alienum, atque ab editionibus authenticis et jam approbatis non discrepare.

2° Enixe commendatur fidelibus, ut ab aliis quoque abstineant perlegendis libris et scriptis quæ, licet de rebus ad pietatem pertinentibus agant, nulla tamen authentica approbatione muniuntur. Sed et cunctos sacerdotes quibus incumbit animarum cura, nec non omnes scholarum magistros ac moderatores volumus admonitos, ne in familiis sibi subjectis introduci permittant libros de Religione vel moribus tractantes, quos legitima non sancivit auctoritas.

3° Ad examinanda vero scripta quæ auctores in vulgus emittere voluerint, Episcopi adhibeant viros ingenio, doctrina, prudentia, vigore animi probatos, et fidei, morum, disciplinæque ecclesiasticæ apprime tenaces. Huic Consilio Examinatorum regulas Episcopi præscribent: nihil vero sapientius invenient, quam quod ea de re a Summo Pontifice Benedicto XIV institutum est.

Imprimantur in fronte libri judicium Examinatoris et licentia Episcopi vel Vicarii Generalis; judicium vero et licentia non censeantur definitive tradita, nisi postquam liber in integrum typis mandatus fuerit, et constiterit impressum a manuscripto non discrepare.

CAPUT SEPTIMUM.

De quibusdam mediis ad fidem servandam atque fovendam.

1° Unicuique mandavit Deus de proximo suo, ait Scriptura Sacra, sed rectoribus animarum, patribusfamilias et magistris cura specialis incumbit. Instanter ergo eos hortamur ut nihil intentatum relinquant ad tuendam fovendamque fidem, ad servandos mores eorum qui sibi subjecti sunt. Pericula undique circumstant; idcirco summa vigilantia atque constantia utendum est.

2° Diligenter imprimis, ut jam statuimus, eos avertant a pestiferis libris qui apte compositi atque fallaciæ et artificii pleni, omnique sumptu per omnia loca in christianæ plebis interitum profusi, incautorum mentes animasque depravant.

3° Arceant eos a lectione Diariorum *(journaux)* pagellarum *(feuilletons)* et aliorum id genus scriptorum, quæ quotidianis aggressionibus ad religionem, pietatem ac bonos mores ex omnium animis eradicandum collineant.

4° Summum ipsis injiciant horrorem clandestinarum sodalitatum, seu societatum eorum hominum, qui omnis pietatis, justitiæ ac honestatis studium extinguere, mores corrumpere, jura quoque divina et humana miscere, catholicam religionem civilemque societatem convellere, imo, si fieri posset, funditus evertere commoliuntur; qui superbia elati, dominationem spernunt, cupidatumque cæco impetu abrepti, in quascumque ruunt voluptates.

5° Ob oculos sæpissime sibi ponant quantas clades Religioni societatique inferrent sua negligentia desidiaque; quam severum judicium, quæ terribilis expectatio pœnarum sibi immineret, si pessimo silentio, si vigilantiæ, custodiæ, zelique defectu, animæ ipsis creditæ damnationem æternam incurrerent.

6° Gravissimum sui muneris officium reputent animarum rectores atque præcones verbi divini, ut evangelicum ministerium religiosissime exerceant, adeoque, ut recte tractantes verbum veritatis, et non semetipsos, sed Christum crucifixum prædicantes, sanctissima nostræ Religionis dogmata atque præcepta, juxta catholicæ Ecclesiæ et Patrum doctrinam, gravi atque facili oratione populis annuntient; peculiaria singulorum officia simplici ac nitido sermone explicent, omnesque a flagitiis deterreant, et ad pietatem inflamment. Ad quod præstandum, assiduo revolvant studio atque meditentur scripturas sacras, opera Patrum præsertimque orationes Sancti Chrysostomi; continuo manibus versent Catechismum Concilii Tridentini, quo nihil argumentis solidius et doctrina accuratius, quodque tot laudibus commendarunt summi Pontifices. Perspectum persuasumque habeant ex ignorantia populorum, quasi ex fonte impurissimo, promanare calamitates publicas.

7° Hoc in votis esset Patribus Provincialis Synodi, ut, ad pleniorem sacræ doctrinæ diffusionem, pii laici et mulieres assumerentur qui, per vicos, ubi deest sacrorum ministrorum copia, Catechistarum officio fungerentur. Quantæ sit utilitatis apud infideles hujusmodi institutio, quotidie testantur missionum exterarum Annales. Sed nec minoris momenti apud nos hæc erit, dum novi isti Catechistæ,

parochorum præscriptionibus fideliter inhærentes, toti erunt in edocendis ruricolis elementa christianæ doctrinæ, adjecta, si opus fuerit, brevi explicatione, quæ sensum catechismi obvium rudioribus aperiat.

CAPUT OCTAVUM.

De Societate gallice dicta : Propagation de la Foi.

Cum nihil sit Deo honorificentius, Christo acceptius, Ecclesiæ utilius, quodque singulis fidelibus magis proficiat, quam veræ fidei ubique propagandæ studium, necesse est edoceatur sedulo populus christianus quanta bona percepturus sit quisquis nomen dat huic piæ Sodalitati quæ jam, Deo favente, tot in regionibus diffusa est sub nomine *Propagationis fidei*, et quam tot encomiis atque etiam gratiis spiritualibus ornarunt et foverunt multi SS. PP., imprimisque Gregorius XVI in Epistola Encyclica *Probe nostis*, et Pius IX.

Itaque hæc nostra Synodus enixe commendat omnibus Provinciæ Episcopis ut institutionem et diffusionem illius Sodalitatis, quantum valent, in sua quisque diœcesi foveant ac promoveant, atque eumdem animum ac zelum in pastoribus, concionatoribus cæterisque sibi subditis animarum rectoribus excitent atque inflammnent. Unde etiam eadem hæc Synodus ad istos ipsos animarum pastores et rectores hanc commendationem dirigit eosque instanter adhortatur, ut pro viribus ad illius operis et Sodalitatis omnimodam prosperitatem et efficaciam augendam allaborent et conferant. Ut vero illud pastoralis sollicitudinis opus lætiore cum successu et uberiore fructu adimpleatur, opportunum erit ob oculos fidelium poni illa tentamina, quibus Societates multæ inter hæreticos errorumque quo-

rumlibet ministros et fautores institutæ sunt, ad diffundenda totum per orbem impiorum suorum commentorum monstra et ad omnia fidei catholicæ vestigia ubique, si fieri posset, extirpanda atque delenda. Ex quo nascetur et arripietur causa validissima, qua impellantur atque moveantur catholici ut non minorem pro Christo, veritate et animarum salute fervorem concipiant, exserant ac demonstrent, quam quo illi pro diabolo, mendacio, æternaque hominum pernicie abripiuntur atque certant. Proponantur, ad fidelium animos stimulis acrioribus urgendos, bona spiritualia quæ ipsi exinde percipient, nec omittatur eos participes futuros fructuum zeli illius flagrantissimi, quo feruntur tot viri apostolici ad Evangelium ubique prædicandum, et ad gentes tam multas hactenus in tenebris et umbra mortis sedentes verum in lumen adducendas et vero Deo subjiciendas.

CAPUT NONUM.

De propagatione bonorum Librorum.

Quam fervide, nullis laboribus impensisque parcentes, contendant impii perversique homines Christi fidem, pietatem omnemque virtutem et honestatis sensum e fidelium mente et corde eradicare, nemo omnibus compertum. Quem scopum attingendi causa, hoc potissimum tentarunt continuoque prosequuntur, ut infrequentissimos usque in pagos ingentem librorum omnis molis et formæ multitudinem disseminent. Hinc facile conspicitur quam necessarium sit fidelibus exhibere et ob oculos ac veluti sub manu ponere libros sanæ doctrinæ consentaneos, et Christianam pietatem spirantes. Sic enim non tantum detinebuntur a perversis scriptis legendis, sed præterea ad hoc allicientur ut piis, sanctis, vere utilibus, vel saltem a quibus nil animæ sit periculi lectionibus inhæreant. Quapropter operæ pretium Synodo Provinciali visum est, in singulis Provinciæ Diœcesibus constitui et erigi, juxta communes regulas ab Episcopis approbatas, Consociationem, cujus Administrorum ope et studio, boni libri propagentur.

TITULUS SECUNDUS

DE CULTU DEI ET SANCTORUM.

CAPUT PRIMUM.

De Culto divino.

Quam profundam in malorum voraginem demersa sit hodierna societas, in qua omnis ordinis principia in controversiam adducuntur, et ipsius familiæ ac proprietatis fundamenta sunt convulsa, in propatulo est. Non aliam tantorum malorum causam requirant sacerdotes Christi Ministri, iis mederi cupientes, quam Dei oblivionem cultusque ei debiti negligentiam. Omnia quippe nutare necesse est cum ipsius etiam Supremæ Majestatis, cui debetur omnis honor et gloria, et cujus summum in se imperium agnoscere ac profiteri tenetur homo, jura nedum illæsa sint, proterve proculcentur? Quapropter quicumque zelum legis habent Sacerdotes, imprimisque Rectores animarum, nihil prætermittant ut inducantur populi ad Deum cognoscendum, venerandum, adorandumque in spiritu quidem, quia *Spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet*

adorare [1], sed etiam per externam cultus interni demonstrationem. Etenim summe indecens est homines, dum tanta reverentia terrenorum Principum Majestatem prosequi gloriantur, intimos grati animi sensus, amorem venerationemque ostendere dedignari erga Supremi Numinis Majestatem.

Sed imprimis meminerint iidem Pastores suum esse, dum voce alios ad reverentiam numinis excitant, prædicationem exemplis roborare, manifestando nempe, sua sacris in muneribus explendis gravitate ac pietate, accurataque Rituum observantia, studiosissimo in templis exornandis zelo, quanto honore dignus sit Supremus Cœli Dominus, qui in ædibus nostris habitat, et cui illum exhibemus cultum.

Caveant igitur Sacerdotes, ne inter singulares novosque privatæ devotionis usus, venerabilis et antiqua cultus catholici puritas detrimentum patiatur.

(1) Joan. 4. 24.

CAPUT SECUNDUM.

De Cultu Sanctorum, Crucis, Reliquiarum, ac Sanctarum Imaginum.

1° Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare et ob beneficia impetranda a Deo *per Filium ejus J. C. D. N. qui solus noster redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere* (1) credidit semperque docuit Ecclesia catholica. Itaque maximas utilitates ex cultu Sanctis exhibito percipiunt Fideles, quippe qui, variis in terra tentationum procellis jactati, potenti amicorum Dei intercessione firmantur, invitantur exemplis, et excitantur ad bonum et in spem veniunt se consortes futuros beatitudinis eorum, qui nunc de sua felicitate securi, de nostra tamen salute sunt solliciti. Promoveant ergo Pastores exhibendam Sanctis hanc venerationem, eximias eorum laudando virtutes, quæ veræ sunt Religionis præclarissimum decus, et gratiæ divinæ efficacitatis argumentum, necnon memorando quantum isti valeant apud Deum intercessores.

2° Corpora Sanctorum, et qualescumque alias Sacras Reliquias, Fideles congruis prosequantur honoribus. Sed et Imagines Christi Salvatoris, Deiparæ Virginis, et aliorum Sanctorum, qua par est reverentia, habendæ. Itaque de hoc argumento Ecclesiæ doctrina animos imbuant Pastores, ne

(1) Conc. Trident. sess. 25.

sanctitas cultui Sanctorum desit, nec cum venerationi proponuntur, detur occasio superstitioni, errori, aut ne honor ad prototypa non referatur.

3° Insuper ut nulla nimiæ credulitati ansa præbeatur, ad abusus quosdam repellendos, et rem in melius ordinandam, decernimus:

1° Reliquiæ fidelibus non exponantur venerandæ, nisi prius fuerint ab Ordinario recognitæ aut probatæ.

2° Sacrum lignum Crucis non in eadem recondatur theca ac cæteræ Reliquiæ.

3° Hæ tantum Picturæ, Imagines et Statuæ in Ecclesia retineantur, quæ idoneæ sunt ad fovendam pietatem, nec, inconsulto Episcopo, novæ facilius admittantur.

4° Inducantur Fideles ut pias in ædibus habeant Imagines virtutum incentivas, iis eliminatis quæ haud satis christianæ honestati consentaneæ sunt.

5° Omnimode tandem curandum est ut populus Christianus persuasum habeat Sanctos esse imprimis virtutum imitatione colendos, in eorum festis luxum et lasciviam penitus removenda, et non nisi sectando viam quam ipsi triverunt, eo deveniendum ubi in æternum exultant.

CAPUT TERTIUM.

De Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis.

A primis Religionis Christianæ exordiis, per omnes ætates pie creditum est in Ecclesia Beatissimam semper Virginem Deique matrem Mariam fuisse absque labe originali conceptam. Cum enim ipsa fuerit *Gratia plena et benedicta inter mulieres*, adeo ut sola extiterit a Deo prælecta, quæ Diaboli caput contereret, perpetuo intellexit pius Fidelium sensus et instinctus, eam nunquam sub potestate Diaboli fuisse. Inde tota retro antiquitas eam agnovit et acclamavit *non serpentis afflatibus venenosis infectam* (1); *semper tum corpore, tum anima, integram et immaculatam* (2); *ab omni integram labe peccati* (3) *et cujus caro non in Adam lapsa est* (4); de qua nulla habenda est quæstio, *cum de peccatis agitur*, utpote quæ vicit *omni ex parte peccatum* (5); quæ non docta fuit *Evæ mala* (6), *quæ non fuit in tenebris sed semper in luce* (7); *ab omni originali peccato immunem, et ab omni contagione primæ originis alienam* (8); *Virginem*

(1) Origen.
(2) S. Ephrem.
(3) S. Ambros.
(4) *Idem.*
(5) S. August.
(6) Theodot. Ancyr.
(7) Auctor. anonym.
(8) S. Paschas. Radbert.

Immaculatam ad quam serpenti aditus non patuit (1); *quæ ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit* (2). Hinc etiam Sanctissimæ ejusdem Virginis Conceptionem a tot jam seculis festo annuo celebrat Ecclesia, quæ non celebrat et colit nisi quod sanctum est : et Concilium Tridentinum comprehendere noluit in suo decreto (3) de peccato originali, *Beatam et Immaculatam* Virginem Mariam Dei Genitricem. In Galliis præsertim sese prodidit cultu religioso Fidelium pietas erga Sanctam Virginem in sua Conceptione Immaculatam, viguitque alte animis infixa hæc Mariæ tam grata sententia, atque speciatim Majores nostros in hacce Provincia Avenionensi ita sensisse compertum habemus, tum ex antiquis variarum ejus Ecclesiarum liturgiis, tum ex Concilio Avenionensi, anno 1457, habito.

Itaque cum nihil possit esse Ecclesiæ utilius, quam, si promoveatur ac augeatur cultus Beatissimæ Virginis, ille præcipue qui ipsi ut absque labe Conceptæ exhibetur, atque hic cultus felicissima sit incrementa suscepturus, si nunc procedens ex pio solo fidelium sensu, et ex sola licet verissima, persuasione jam prodeat ex fide qua eadem veritas tanquam dogma credatur; cum insuper opportunum sit ut, dum omnia dogmata, imprimisque dogma peccati originalis, aut impudenter negantur, aut in dubium vertuntur, Ecclesia solemne auctoritatis suæ supremæ in decernendis judiciis ac definienda fide proferat argumentum, et cum tandem Christo maxime placere hunc cultum dilectissimæ suæ Matri exhibitum, demonstrent tot ac tam insignia, iis

(1) S. Joan. Damasc.
(2) S. Pet. Damian.
(3) Trid. sess. V.

qui sub hoc titulo eam invocant recentissimis temporibus beneficia concessa: ideo hæc Synodus, quæ die Beatissimæ Virginis Conceptioni sacra inchoata est, volens suam pietatem testari erga dilectissimam illam Matrem, et profiteri gloriosum singulareque illud privilegium, atque libenti animo obsequens pientissimis SS. Patris Nostri Pii IX votis, adhærensque quam plurimorum Episcoporum iteratis postulationibus, humiliter et enixe a sua Sanctitate petit, ut veluti Ecclesiæ doctrinam, definire velit Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpæ labe immunem.

CAPUT QUARTUM.

De reverentia his qui Deo sunt consecrati debita.

Meminerint Christi Fideles magnam deberi reverentiam Dei et Ecclesiæ Ministris. *Ipsi enim pro Christo legatione funguntur*, suntque *dispensatores mysteriorum Dei.* Debetur quoque Religiosis utriusque sexus reverentia, namque per ardua paupertatis, castitatis et obedientiæ vota Deo dicati, strictamque evangelicorum consiliorum viam sectantes, tam efficaciter ad gloriam Dei et proximorum ædificationem conferunt.

Quicumque ergo Sacerdotes, Clericos, et Religiosos insectantur odio, contemptu, contumeliis, calumniis, cæterisque injuriis, seu viva voce, seu per scripta cujuslibet formæ et nominis, hæc æternæ veritatis oracula perpendant: *Qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me* (1). *Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari* (2). *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* (3).

Sciant quoque pœnas gravissimas sacrilegis Clericorum et Monachorum percussoribus inflictas fuisse ab Ecclesia, tum omni tempore, tum præsertim in Concilio Lateranensi II.

(1) Luc. 10. 16.
(2) Ps. 104. 15.
(3) Zach. 2. 8.

CAPUT QUINTUM.

De reverentia Locis Sacris, Tumulis et Rebus Benedictis debita.

1° Non solum personis Deo dicatis magna debetur reverentia, sed etiam Locis cultui divino addictis seu Sacris; ait enim Scriptura: *Pavete ad Sanctuarium meum* (1) et: *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta Cœli* (2). Et revera illic est *Tabernaculum Dei cum hominibus* (3), cathedra veritatis, lavacrum regenerationis, misericordiæ tribunal, mensa divina; illic jugiter scaturiunt fontes *aquæ salientis in vitam æternam* (4).

2° Attendant igitur diligenter Parochi, ut omnia in Ecclesiis decenter et reverenter peragantur, memoresque istius effati: *Zelus domus tuæ comedit me* (5), ea quæ illarum sanctitatem dedecent, videlicet, ingressus inverecundos, confabulationes, risus, strepitus, incongruam corporis compositionem, summo studio avertant. Curent etiam, ut silentium in Sacristia servetur. Ne autem ædificationes, instaurationes, ornatusque Ecclesiarum dissentiant artis Christianæ legibus, mandamus ut nullæ deinceps erigantur Ecclesiæ, nec jam erectæ reficiantur, inconsulto Episcopo. Dolendum certe jampridem, quod eorum plerique qui artibus excolendis

(1) Levit. 26. 2.
(2) Gen. 28. 17.
(3) Apoc. 21. 3.
(4) Joan. 4. 14.
(5) Joan. 2. 17.

operam navant, sensum Catholicum amiserint, quem ut exprimant, cordi inhæreat necesse est. Utinam reviviscerent piæ illæ consociationes olim dictæ *Pontifes*, *Imagiers*, et aliæ quarum confratres, pleni fide et simul artium peritissimi, construendis et ornandis Ecclesiis ubique præsto erant, nihil nisi gloriam Dei et Sanctorum honorem appetentes.

Cumque non raro reperire sit flagitiosissimos homines, qui effrenata auri fame insanientes, sacrilegas manus, proh dolor! etiam in Sancta Sanctorum inferre non horrescunt, omni sollicitudine caveant Parochi ne infandum illud et execrabile scelus perpetrari queat.

3° Sepulchra etiam fidelium decus honoremque suum habere conveniens justumque est. Tumuli enim Christianorum aqua et thure benedicuntur, in eisque jacent corpora quæ membra fuerunt Christi et habitaculum Spiritus Sancti, et quorum plurima in novissimo die de terra in vitam æternam surrectura sunt. Curent igitur Parochi ut Cœmeteria muro sepiantur, ne immundum in eis aliquid committatur, neve animalium incursibus pateant. In medio stet crux, ut pignus futuræ resurrectionis. Muro, sepe aut saltem fossa separetur locus sufficiens ad sepeliendos eos omnes, quibus concedi nequit ecclesiastica sepultura.

Sed cum omnis ille externus honor erga defunctos exhibitus, pro illorum æterna requie haud multum prodesset, ad hoc invitentur sæpe Christiani, ut precibus suis, applicatione indulgentiarum, et præsertim saluberrimo Missæ Sacrificio, succurrant animabus fratrum, qui in pace quidem Domini decesserunt, sed quibus aliquid luendum superest.

4° Quod attinet ad res benedictas, quales sunt aquæ, panis, cerei, numismata, parvæ cruces, Christi e cruce

pendentis imagines, rosaria et coronæ deprecatoriæ, Parochi moneant Fideles res istas, verbo Dei et orationibus Ecclesiæ benedictas, destinari disponique ad salutares effectus producendos, *v. g.* ad delenda peccata venialia, expugnandos diabolicos incursus, tempestates fugandas, morbos pellendos, etc., etc.; ideoque Christianæ familiæ perutiles esse, et eas devote ac reverenter servari et tractari debere.

CAPUT SEXTUM.

Contra Blasphemiam et Perjurium.

1° Varia inter scelera quæ, tanto cum populorum detrimento, hisce temporibus eruperunt, aut increbuerunt, exaggeratur Blasphemia. Quam multi sunt enim, qui sæpius et quasi ludentes, *os in cœlum* (1) ponere non exhorrescunt, scilicet tremendam Dei majestatem, ipsius attributa impugnando, vel ipsis aliquid detrahendo, seu etiam ipsum probris, contumeliis, maledictis afficiendo lacessunt; qui Sanctis, imo et gloriosissimæ Deiparæ impie obtrectant; qui res sacras parvipendunt et despectui habent; qui in creaturis Creatorem impetunt; qui Blasphemiam ore, vel scriptis cujuslibet molis et tituli, quasi in omnia loca disseminant; qui ut deliramentis suis veluti decorem addant, Christi nomen, sermones, exempla, institutaque sibi nefaria usurpatione vindicantes, in exitiosorum commentorum argumenta convertere non verentur!

2° Horrendam hanc illorum hominum impietatem vehementissime deplorantes, et SS. Patris Pii IX monitis et exemplis obtemperantes, non tantum Parochos, sed omnes Fideles, imprimisque patresfamilias, per viscera misericordiæ D. N. Jesu Christi, rogamus, atque obsecramus, ut in tam exsecrandum scelus acrius invehantur, et illud, quantum in ipsis est, extirpare contendant.

(1) Ps. 72. 9.

Qua de causa Confraternitatem contra Blasphemiam, nuper canonice institutam multisque ditatam indulgentiis valde commendamus, et omnes animarum rectores hortamur ut in suis Parochiis, illam, si fieri potest, curent erigendam.

3° Cum vero Deus non tantum sit summe Sanctus, sed etiam summe verax, et cujus auctoritas est infinite veneranda, illum inhonorare perjuriis prorsus impium horrendumque est. Quod iteratis vocibus Spiritus Sanctus enuntiat, dicens: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus* (1). *Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua* (2).

Doceant ergo Parochi et verbi Dei Præcones, quantum Numini contumeliosa sint perjuria, quantaque ex his detrimenta, non solum animabus, sed Societati civili inferantur; et quia magis ac magis ingravescit Perjurium, ita ut permulti sint qui coram Ordinariis in causa Matrimonii, vel coram judicibus sæcularibus perjurare non horrescant, contra illud nefandum scelus vehementer insurgant, et ab eo totis viribus deterreant fideles.

4° De Societatibus vero clandestinis, quæ cum e tenebris in rei tum Sacræ, tum publicæ exitium et vastitatem emersæ sint, a Romanis Pontificibus, nempe a Bened. XIV, constit. *Providas;* Clem. XIII, const. *In Eminenti;* Pio VII, const. *Ecclesiam a J. C.;* Leone XII, const. *Quæ graviora;* Pio IX, Encyclica *Qui pluribus;* iterato anathemate damnatæ fuerunt; moneantur Fideles, omnique diligentia edoceantur nulli licere talibus societatibus nomen dare; nefanda per-

(1) Levit. 19. 12.
(2) Matth. 5. 33.

juria esse juramenta, si qua in eis præstentur, eaque quantumvis prolata, nullo modo obligare, utpote quæ sunt de re illicita Deoque valde injuriosa.

5° Si autem nonnullæ sint aliæ consociationes, quæ, quacumque de causa, non essent notatæ prædictis SS. Pontificum constitutionibus, et in quibus juramentum aliquod emittitur, attamen hoc generatim pro certo teneant rectores animarum, ut illicitum habendum esse juramentum, quando pro re ignorata præstandum exigitur.

CAPUT SEPTIMUM.

De Liturgia.

Omnium ferme in votis est, ut unitas formarum orationis publicæ Sacrarumve Liturgiarum ubique, præsertim in Gallia, inducatur ac statuatur. Nec desunt votis istis urgentissimæ rationes, scilicet, cum fides Ecclesiæ oratione publica et ritibus sacris exprimatur ac veluti prædicetur, est certe maxime congruum ut, quandoquidem est una fides, sit una orationis ac Rituum publicorum forma unave Liturgia. Nihil insuper utilius est et efficacius ad fovendam, roborandam et augendam in mentibus Fidelium unitatem fidei, quam uniformitas Liturgiarum, cum Liturgia ecclesiastica unum sit ex præcipuis Traditionis Catholicæ instrumentis ac veluti organis. Nec quemquam latet semper exoptasse et juxta Trid. Concil. decretum, multum insudasse SS. Pontifices, ut Romanæ Ecclesiæ Ritus, in omnes, quantum sinebat rerum ac temporum conditio, Occidentis Ecclesias introducerentur. Sic Sanctus Pius V, Gregorius XVI, Pius IX multipliciter ac sæpius verbis ac scriptis suum ea de re animum manifestarunt ac testati sunt. Accedit etiam pro hac Avenionensi Provincia necessitas, iis non levibus occurrendi incommodis quæ ex eo nascuntur, quod ejus in Diœcesibus etiam singulis, utpote quæ ex multis antiquarum Diœceseon partibus constant plures vigeant Liturgiæ. Itaque hisce rationibus permoti, atque imprimis voci supremi Pastoris sollicite obtemperantes, hujus

Synodi Patres, in quorum Diœcesibus non viget Liturgia Romana, curabunt ut, quando idonea data fuerit occasio, Romani Missalis, Ritualis et Breviarii usus in eis reviviscat et accurate servetur.

Interea nihil in privatis Liturgiis innovetur, quod Liturgiæ Romanæ instaurationi obstet.

TITULUS TERTIUS

DE DISCIPLINA CHRISTIANA.

CAPUT PRIMUM.

De diebus Dominicis et Festis.

1° Maximo non sine dolore Provincialis hæc Synodus advertens dies Dominicos et Festos qui merito tam venerandi et sancti Patribus nostris fuerunt, adeo hacce nostra ætate, neglecta contemptaque Religione, violentur ab hominibus tam multis, solo nomine Christianis; simulque permaxime exoptans, hanc supremo illatam Numini injuriam propulsare, vehementer hortatur Rectores animarum ut omnem ineant viam, omnique opera nitantur, quo in posterum religiosius observentur illi dies in suis Parochiis. Quapropter, sæpe inculcantes grave præceptum, omnibus fidelibus impositum, sese abstinendi his diebus ab omni opere servili, atque Missam audiendi, in memoriam revocent et acriter exponant quam terribile exerciturus sit Deus in sanctissimi illius mandati violatores judicium. Licet vero in qualibet Ecclesia possit quisque implere præceptum Missam audiendi; attamen cum Episcopis præcipiat Conc. Trid. (1) ut

(1) Sess. 24. cap. 4. *De Reform.*

moneant diligenter populum, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Dei verbum; cumque sæpe sæpius nulla alia suppetat via hominibus rudibus et ignaris doctrinam Christianam addicendi, enixe hortatur omnes Synodus Provincialis ut assidue in propriam Parochiam conveniant diebus dominicis et festivis de præcepto. Quod ut efficacius assequantur Parochi, satagant ipsi imprimis dignius observantiusque officia divina persolvere; sermo eorum ac prædicatio non tam sit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, quam in ostensione spiritus et virtutis; item virorum ac mulierum pias Sodalitates instituant, quibus sit lex, Ecclesiam frequentare, sæpiusque Sacramentis refici.

2° Plura olim, præter dies Dominicos, a fidelibus observanda erant festa; in præsenti autem Ecclesiæ Gallicanæ statu ad quatuor sunt reducta juxta indultum Cardinalis *Caprara* Legati Summi Pontificis Pii VII, videlicet : Nativitas D. N. J. C., Ascensio, Assumptio Beatæ Virginis Mariæ, et Festivitas omnium Sanctorum. Sed quo minor est numerus dierum festorum, eo majore studio, fervore ac diligentia observare debent Fideles ea quæ supersunt, illud sedulo animo reputantes, Christiano nomine indignum esse qui Christi et Ecclesiæ ejus mandata, qua par est cura, non custodit.

Quod ad Festa suppressa spectat, desiit quidem obligatio sese his diebus abstinendi ab operibus servilibus et Missam audiendi; meminerint tamen Parochi eam esse Ecclesiæ mentem, ut hæc eadem Festa nihilominus cum magna pietate et devotione colantur.

« Eam enim legem adjunctam esse voluit Sanctitas sua

» (ut fert Indultum) ut in festis quæ *suppressa* dicuntur,
» in omnibus Ecclesiis nihil de consueto divinorum officio-
» rum, sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu inno-
» vetur. » Hortentur igitur Parochianos suos, « eos
» præsertim qui victum parare sibi labore manuum minime
» coguntur, ut iis diebus Sacrosanctæ Missæ Sacrificio haud
» negligant interesse. »

CAPUT SECUNDUM.

De Jejunio et Abstinentia.

1° Cum Christus, omnibus hominibus ut salventur, et ad Deum finem ultimum reducantur, pœnitentiam præscripserit strictissima hac lege : *Pœnitentiam agite* (¹) ; et *si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* (²) ; cum præterea continuum instet nobis luctamen adversus carnem, utpote quæ, testante Apostolo, concupiscit adversus Spiritum, adeoque obsistere debeamus tot cupiditatibus perversisque propensionibus quæ nobis insitæ sunt, quasque haud intermissæ experimus; cumque tandem vita Christiana omnino in eo versetur ut sectemur Christi vestigia, et ipsum qui solus est via sicut veritas et vita, in nobis ipsis exprimamus ac referamus; idcirco Sancta Mater Ecclesia divino afflatu edocta, varias indixit observantias quibus Fideles pœnitentiam exercerent, carnem et cupiditatem omnes debellarent ac vincerent, et, Christum sequentes, ad Deum tenderent tandemque pervenirent. Has inter observantias præcipuum obtinent locum Jejunia quæ Ecclesia, ab ipso sui exordio indixit, quæque sunt tum Jejunium Quadragesimale a temporibus Apostolicis vigens,

(¹) Matth. 4. 17.
(²) Luc. 13. 5.

tum Jejunia Quatuor Temporum nuncupata, et alia certis vigiliis affixa.

2° Quod igitur spectat ad jejunium in Quadragesima aliisve diebus ab Ecclesia præscriptis, meminisse debent quicumque Christiano nomine censentur, se nisi justis causis impediantur cum vigesimum primum compleverint ætatis annum, esse præcepto obstrictos illud quadraginta diebus accurate servandi; propterea per id totum tempus, exceptis diebus Dominicis, unicam permitti refectionem, cui addi potest cœnula.

3° Insuper advertens hæc Provincialis Synodus, non unum esse ubique Jejunii Quadragesimalis observandi modum, sed alios aliis in Diœcesibus usus servari, atque attendens unitatis in tota Provincia procurandæ bonum, opportunum duxit, ut deinceps Episcopi comprovinciales inter se conferant, de dispensationibus sive concedendis singulis annis, sive ab Apostolica sede obtinendis.

4° Quoad triduum Rogationum, attendentes Patres Concilii non in omnibus Galliarum Diœcesibus vigere legem abstinentiæ, præsertim in quibusdam Diœcesibus Provinciæ Avenionensi proximis, sed in fere abrogatam esse contrario usu, ac tandem in Diœcesibus Provinciæ Avenionensis in quibus hæc subsistit etiam nunc obligatio, nimium videri Fidelibus rigorem Episcoporum et quærimonias excitare, hæc Provincialis Synodus, approbante Summo Pontifice, decernit usum carnium non in posterum fore prohibitum, triduo Rogationum, in Diœcesibus Provinciæ Avenionensis.

TITULUS QUARTUS

DE SACRAMENTIS.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in genere.

1° Sacramenta novæ legis, in veteri lege figuris adumbrata, per quæ, ut ait Concilium Trident. omnis vera justitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur [1], semper curavit Ecclesia Catholica, ut sancte tractarentur a Ministris, pieque susciperentur a Fidelibus.

2° Quapropter, Synodus devote recolens in his spiritualibus donis, immensam Dei erga nos charitatem, ac jugiter apertum et nunquam exhaustum meritorum Christi thesaurum; enixe hortatur Parochos et populos ut præ oculis semper habeant tam præcellentium signorum sanctitatem et efficaciam. Cum experientia quotidiana aut frequentia vilescant etiam res pretiosissimæ, timendum est ne populi ita assuefiant tanto beneficio, ut divina Sacramenta a rebus profanis non satis discernant, deficiatque etiam in Ministris

[1] Conc. Trident. sess. 7.

debita sanctitas, necnon accurata cæremoniarum quas Ecclesia præscribit observantia.

Ideo vehementer optat Synodus ut, ad minus, quolibet triennio, singuli Parochi integram doctrinam Sacramentorum, illorum dignitatem, institutionem, usum ac salubres effectus, atque sanctiores Cæremoniarum significationes, populis sibi commissis plano sermone, pro audientium captu, ordinatim explanent; nec erubescant crebro inculcare, quod ex primoribus fidei rudimentis, nemo non didicit.

3° Sacramentorum dispensatores nec eorum materiam et formam, quas a Domino institutas, Sancta Romana Ecclesia tot seculorum usu servavit, substantialiter immutare, nec ipsis etiam accidentale aliquid addere vel detrahere præsumant.

4° Quamvis fides et sanctitas Ministri ad validitatem Sacramenti minime requirantur, cum tamen nefas sit pura ab impuris tangi et Sancta non sancte tractari, imprimis studeant Sacerdotes ut nullo temporis momento, non ea animi pietate quæ tantæ administrationis munus decet, ornati ac omnino parati inveniantur. Idcirco hortamur Sacerdotes, quamvis a lethali culpa sint immunes, ut ultra quindecim dies confessionem non protrahant.

5° Necessum esse ut internis animi dispositionibus externus cultus respondeat, dicere supervacaneum est. Omni ergo ratione curent Ecclesiarum Rectores, ut vestes, ornamenta sacra, et vasa pro singulorum Sacramentorum usu ac ministratione adhibenda, Ecclesiasticæ munditiei nitore ac puritate colluceant.

6° Non modo in ministrantibus, sed in suscipientibus pietatem, puritatem, externumque cultum exigunt Sacra-

menta. Attendant igitur Fideles ut ad ea recipienda accedant, non solum debitis animi dispositionibus instructi, sed exteriore etiam corporis habitu et compositione humilitatem et reverentiam præ se ferentes; ideoque publici peccatores, nisi emendentur, a Sacramentorum susceptione arceantur.

CAPUT SECUNDUM.

De Baptismo.

1° Cum Baptismus sit ad salutem absolute necessarius, dicente Domino : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei,* sedulo curent Parochi ut infantibus quam primum conferatur.

Et si, propter mortis periculum, ab obstetrice vel alia persona, domi collatus fuerit, diligenter inquirant de illius validitate; cujus si certiores sint, tunc sufficiat preces Ritusque Ecclesiæ consuetos supplere, alioquin baptizent sub ea conditione : *Si non es baptizatus etc;* sub eadem conditione baptizandi sunt infantes expositi vel ad Xenodochium occulte delati, etiam cum schedula recepti Baptismatis, nisi aliunde Baptismatis iisdem collati indubitatum desumatur indicium. Item quoad Baptismum ab hæreticis collatum, etiamsi juxta Catholicam doctrinam, valide ab eis conferri possit, ubi tamen prudens occurrit dubium hoc Sacramentum rite non fuisse administratum, sub eadem conditione iterari debet.

2° De Patrinis et Matrinis, servetur consuetudo recepta; meminerint tamen Parochi, unum sufficere Patrinum vel Matrinam. Ab illo officio arceantur infideles, hæretici, notorie excommunicati et publici peccatores. Nomina parvulis non dentur, nisi ex Martyrologio desumpta.

3° Dum Sacramentum ministratur, nemo risu, aut inani-

bus verbis, ullove indecenti strepitu tam venerabilem functionem interturbare audeat, sed omnes religiose ac pie attentos sese exhibeant.

4° Deterreant Parochi a saltationibus, choreis, aliisque abusibus qui, occasione Baptismi, nonnunquam fiunt, quique reverentiæ Sacramento debitæ, et Patrinorum muneris dignitati nimis profecto adversantur.

5° Excepto casu urgentis necessitatis, Baptismus non alibi quam in Ecclesia Parochiali conferatur, nec aliter quam adhibitis Sacris Ritibus qui in Rituali præscripti sunt.

6° Non facile permittant Episcopi ab illis Ritibus separari Sacramentum. Serventur præscripta Romani Ritualis circa Baptismi ministrum. Fons Baptismi decenter et diligentissime custodiatur, seraque claudatur.

7° Tandem non omittatur hoc ultimum Ritualis Romani
» monitum, nempe : « Antequam infans ex Ecclesia asporte-
» tur, aut Susceptores discedant, eorum nomina et alia de
» administrato Baptismo, ad præscriptam formam, in bap-
» tismali libro Parochus accurate describat. »

CAPUT TERTIUM.

De Confirmatione.

1° Finem et effectus Sacramenti Confirmationis attendenti, quanta dignitate et utilitate emineat, perspicuum est. Quasi enim modo geniti infantes e Sacris Fontibus egressi Christiani, augmentum virium cœlesti illo et plane mirabili Chrismate accipiunt, robore spirituali induuntur et unctione invisibili, tanquam athletæ ad fidei certamina, muniuntur. Quæ virtus e Spiritu Sancto procedit, quem accipit Confirmatus.

Accedit etiam huic tam copiosæ gratiæ et donorum largitioni, quemadmodum in Baptismo et Ordine, Character impressus in anima, id est signum quoddam indelebile, unde illud Sacramentum iterari non potest.

2° In Ecclesia Latina a multo tempore consuetudo viget Confirmationem non conferendi ante septennium, et in Provincia Avenionensi, nonnisi post primam Communionem pueris hoc Sacramentum administratur, et hunc usum retinendum censent Patres Concilii, exceptis quibusdam casibus, judicio Episcopi.

3° Monet Synodus ut nullus ad Sacrum Chrisma accipiendum admittatur, nisi rudimentis fidei sit imbutus; et valde Parochos adhortatur, ut per pia exercitia Confessioni sacramentali præmittenda, eos qui confirmandi sunt in sua Parochia disponant.

CAPUT QUARTUM.

De Eucharistiæ Sacramento.

1° Ex præcepto divino, certe necessaria est omnibus Fidelibus adultis Eucharistiæ perceptio, cum Christus Dominus dixerit : « *Nisi manducaveritis carnem Filii ho-* » *minis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in* » *vobis.* (¹) » Quapropter Synodus Tridentina, ut omnes Fideles impelleret ad præceptum illud exequendum, *paterno affectu admonet, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis..... conveniant et concordent..... ut..... Sacra Mysteria Corporis et Sanguinis Christi..... frequenter suscipere possint* (²). Imo eadem Synodus de Sacra Communione iterum sententiam proferens, optavit *ut in singulis Missis, Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent* (³). Verumtamen cum ad fructuosiorem Eucharistiæ usum virtutes requirantur, fides, spes, charitas in Deum, amorque in proximum, atque humilitas et devotio, quæ non semper in fidelibus reperiuntur, Ecclesia tantum mandavit sub mortali reatu, *omnes et singulos fideles utriusque*

(¹) S. Joan. 6. 54.
(²) Conc. Trid. sess. 13. cap. 8.
(³) Conc. Trid. sess. 22. cap. 6.

sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum ([1]). Et ideo Concilium hoc nostrum, omnibus Provinciæ Parochis et verbi Dei Concionatoribus præcipit, ut fideliter initio Sacræ Quadragesimæ, frequenti populo confitendi et communicandi obligationem proponant et inculcent vehementer, Synodorum Lateranensis et Tridentinæ mandatum in memoriam revocantes, denuntiantesque etiam, præfato Ecclesiæ præcepto non satisfieri nisi in Parochia Eucharistia suscipiatur.

2° Equidem per annuam et Parochialem Communionem Fideles Ecclesiæ præcepto, sed non semper infirmæ suæ et indigenti animæ satisfaciunt. Zelum ergo Dei et animarum habentes, Parochi adhortentur populos sibi commissos, ut ad Sacram Synaxim frequenter accedant, una eos præmonentes, ita *ea fidei constantia, et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur illud Sacramentum..... ut eis sit animæ vita, et perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant* ([2]). Et cum confessariis magna opus sit sapientia ad discernendum interiores animæ dispositiones, quæ in Eucharistiæ usu requiruntur, hortamur eos in Domino, ut lectione et oratione idonei et periti sint in suo ministerio exercendo, non promiscue omnes ad frequentiorem Communionem admittentes, sed eos solum qui ea digni sunt et cum proventu eam percipiunt.

3° Pueri ad primam Communionem in Ecclesia Parochiali

([1]) Conc. Trid. sess. 13. canon. 9.
([2]) Conc. Trid. sess. 13. cap. 8.

accedant, quando rudimenta fidei a Parocho edocti fuerint, et tempus congruum advenerit; attamen in domibus utriusque sexus institutioni destinatis, ubi pro officiis ritibusque sacris est sacellum, præpositusque Sacerdos, admittentur ad primam Communionem pueri qui erudiuntur et instituuntur, sed interni tantum, a tribus saltem mensibus in domo commorantes.

4° Reponenda est Sacra Eucharistia in solis Ecclesiis quibus de jure vel consuetudine eam asservare competit: hæc facultas non concedatur, nisi legitima de causa, oratoriis privatis.

5° Prohibemus ne quis Sacerdos una die, Dominicis et Festis de præcepto, duas Missas celebret, nisi de Episcopi sui licentia, quæ est concedenda tantum pro gravi causa.

6° Insuper laudabilem ducit Synodus agendi rationem, eorum qui, si tempus ferat, capite damnatos, si aliunde sunt recte dispositi, Sacra Communione reficiendos curant.

CAPUT QUINTUM.

De Sacramento Pœnitentiæ.

1° Plurimos Christianorum esse, qui a salutari Pœnitentiæ lavacro per totum fere vitæ curriculum abstineant, nemini ignotum est. Malo huic exitiali occurrere, quantum in ipsa est, volens hæc Synodus, mandat et præcipit omnibus animarum Rectoribus ut nihil non moliantur ad hujusmodi luctuosam Fidelium segnitiem excutiendam. Sæpe sæpius Parochianis ostendant quam necessarium sit, quam efficax et salutiferum illud Sacramentum. Ad hoc rite accipiendum illos invitent opportune et importune, paratosque se semper exhibeant et expeditos, quoties ea de re a fidelibus adsciscuntur. Nec nomen, nec domicilium Pœnitentis inquirant, præsertimque caveant a nomine complicis inquirendo, quod inhibet sub gravibus pœnis Benedictus XIV in Encyclica *Ubi primum*. Eo etiam fine ab Episcopis, in qualibet Cathedrali Ecclesia, instituatur Canonicus aut Sacerdos Pœnitentiarius, zelo et scientia pollens, qui statutis diebus excipiat Fidelium confessiones et viam facilem aperiat iis qui peccata quorum absolutio est reservata, commiserunt, sive confessiones repetere volunt, sive denique prudentiori consilio egent. Tabella casuum reservatorum, eo quod in ætate miserrima vivimus, parce Confessariorum restringat facultates, breviter et nitide censuras et peccata quæ reservantur explicet, imprimisque ea sedulo indicet et

secernat quorum absolutionem a Summo Pontifice obtineri necesse est. Decernit præterea hæc Synodus potestatem Confessionem Fidelium excipiendi non esse concedendam iis Sacerdotibus qui munere Ecclesiastico carent, nisi post inquisitionem factam de eorum doctrina et moribus. Insuper non dabitur, nisi scripto, Confessiones audiendi facultas quæ sit ultra sex menses valitura.

2° Sciant Parochi se, vi muneris sui, teneri ad excipiendas confessiones puerorum qui annos discretionis attigerunt, et qui nondum ad Sacram Synaxim accesserunt, adeoque ad ipsos rite disponendos et ad absolutionem, ubi nihil obstat, impertiendam. Exhortamur etiam Parochos, ut illos pueros inducant ad frequenter in anno confitendum.

3° Decernimus tandem licitum esse omnibus et singulis fidelibus adire, confessionis causa, etiam tempore Paschali, quemlibet Sacerdotem ab Ordinario approbatum, et ideo volumus paræcianos hac de re ab ipsis Parochis publice moneri.

CAPUT SEXTUM.

De Extrema Unctione.

1° Extremam Unctionem quæ, ut ait Conc. Trid.: « *Delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati » reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confir- » mat, magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam exci- » tando; qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac » labores levius fert, et tentationibus Dæmonis calcaneo » insidiantis, facilius resistit, et sanitatem corporis in- » terdum ubi saluti animæ expedierit, consequitur* (¹), » Parochi omni quo poterunt zelo et præsertim opportuno tempore administrent periculose ægrotantibus. Ideo etiam conferatur pueris vita periclitantibus, si sint doli capaces et eam attigerint ætatem, qua idonei habentur ad Pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum.

2° Memorandum est speciatim inter effectus Extremæ Unctionis annumerari ab Apostolo Jacobo ipsorum peccatorum remissionem. Vult igitur Synodus monitos esse Sacerdotes, quantum reatum incurrerent si, ipsorum culpa et negligentia, moribundos hoc Sacramento privari accideret.

3° Quoties se dederit occasio, vanos dissipet Parochus timores ignarorum, quibus persuasum quandoque habetur de vita et salute infirmi actum esse, ex quo est Oleo Sacro inunctus. Inculcet e contrario fidelibus, vi hujus Sacra-

(¹) Conc. Trid. sess. 14. cap. 2.

menti, præter gratiam infusam animæ, conferri interdum et corpori sanitatem. Nec putet se suo satisfecisse officio, si semel tantum ægrotum inviserit; sed frequenter eum adeat, ut eum consoletur, eique, donec e vivis excesserit, assistat et operam impendat.

4° Quamvis ordinarie simul administrentur Eucharistia et Extrema Unctio, attamen, pro conditione infirmi, separatim primum Eucharistiæ, deinde, aliquo facto intervallo, unctio Olei adhiberi poterit.

5° Nunquam Sacrum Oleum asservetur extra Ecclesiam, aut Sacristiam, ne in domo quidem Parochi, nisi de licentia Episcopi; nec, quantum fieri potest, permittatur illud a laico deferri, aut ab isto in ipsa Sacramenti administratione ampullam sustineri.

CAPUT SEPTIMUM.

De Sacramento Ordinis.

Nihil certe præcellentius Sacerdotum dignitate, qui, vi Sacramenti divinitus instituti, eo charactere, eaque potestate insigniuntur, quæ omnem angelicam eminentiam superat. Ipsi enim Sacrosanctum et Immaculatum Deo offerunt Sacrificium Corporis et Sanguinis Christi, propriam habent et exercent potestatem remittendi peccata, homines per Baptismum Christo inserendi, Verbum Divinum prædicandi, et Mysteria Dei dispensandi.

1° Declarat ergo Synodus, antiquorum Conciliorum vestigiis inhærendo, non alios esse Sacris Ordinibus initiandos, quam quos constiterit scientia, morum innocentia, pietate, omnibusque virtutibus commendabiles esse. Itaque, juxta Tridentini Concilii præscriptum, ante ordinationem Episcopus, sive per seipsum, sive per viros prudentes divinæque legis peritos, et in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatos, ordinandorum mores, doctrinam ac fidem diligenter investiget et examinet.

2° Et cum, antequam ordinentur Clerici, in Parochiis aliquandiu commorantur, caveant Rectores animarum ne testimonium bonum de illis reddant, nisi sancta conversatione illud emeriti fuerint. Qua in re, eosdem Rectores Synodus vult monitos, eum gravis peccati reum fieri, qui cum tanto Ecclesiæ damno Episcopum deciperet.

3° Præterea, juxta ejusdem Concilii Tridentini mentem, vehementer optat Synodus, ut nullus Clericus secularis ad sacrum Subdiaconatum promoveatur, quoad fieri poterit, sine titulo ecclesiastico, nisi prius legitime constet ab illo titulum patrimonialem possideri. Si vero deficiat titulus prædictus, accedat, ex Apostolicæ Sedis indulgentia, Episcopi dispensatio.

4° Restituatur usus, sicubi desierit, promulgandi banna ordinandorum, in cujusque Parochia, una vice pro Subdiaconatu, et altera pro Presbyteratu; et ea occasione, Parochi Fidelium precibus commendent Ordinandum.

CAPUT OCTAVUM.

De Matrimonio.

Multi pessimum errorem pristinorum hæreticorum contra indissolubile Matrimonii vinculum renovantes, vel etiam conjugii tyrannidem (ut aiunt) proclamantes, fornicationis, divortii, adulteriique prædicatores fieri non erubescunt. Unde multa oriuntur mala: nam, cum absque indissolubili Matrimonio familia subsistere nequeat, cumque societatis publicæ familia sit fundamentum, necesse est, everso fundamento, domus ipsa corruat.

1° Quapropter Nos illorum, quibus Christus ipse Dominus Matrimonii firmitatem sancivit, memores verborum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, necnon decretis Sacrosanctæ Tridentini Synodi cohærentes, vehementer animarum Rectores hortamur in Domino, ut summo zelo Matrimonii sanctitatem et indissolubilitatem tueantur atque defendant.

2° Insuper, quia pia præparatio ad tam grave onus suscipiendum majora Dei auxilia obtinet, hujus Synodi Patribus visum est, Sanctæ Ecclesiæ circa Matrimonii celebrationem veteres leges renovare et earum observantiam urgere.

Nullus ergo, absque dispensatione Summo Pontifici reservata, Matrimonium Acatholici viri cum Catholica muliere, et vicissim, celebrare præsumat. Si vero dispensatio illa concessa fuerit, Matrimonium celebretur sine solemni-

tate bannorumque promulgatione et semper extra Ecclesiam. Poterit tamen in Sacristia consensus partium recipi. Nullum celebretur Matrimonium per noctem, nisi gravibus de causis et de licentia Episcopi, imo nec extra Missam quoad fieri poterit.

3° Dies saltem una integra semper servetur inter ultimam bannorum proclamationem et Matrimonii celebrationem.

TITULUS QUINTUS
DE EXEQUIIS.

CAPUT UNICUM.

Quædam in Exequiis observanda.

Ut accuratius præscripta Ecclesiæ circa Fidelium Exequias serventur, ea omnino tollantur quæ hoc postremum piæ Matris in filios officium haud satis decerent. Ut autem dubia quæ exoriri possunt, faciliori solutione a Sacerdotibus expediantur, censuit nostra Synodus hæc esse statuenda :

1° Ab altari et feretro repellant Parochi sive velamenta coloris indebiti, sive signa aut symbola, quæ superstitionem redolent, sive alia quæcumque a Sacrarum Exequiarum Ritibus aliena.

2° Sacerdos qui præest et alii de clero Missarum solemnitates cæterasque cæremonias Rituali præscriptas summo studio retineant, et adimpleant. Dum ex Ecclesia ad cœmeterium proceditur, ea, qua par est, modestia ac devotione sese gerant, et eumdem ordinem, eamdemque gravitatem redeundo servent, devitantes colloquia vana quæ Fidelium ædificationi nocent.

3° Si, prout fit aliquando, ad tumulum oratio habeatur

a laico et de humanis potius quam de christianis virtutibus, Clerus discedat expleto funere. Accidit quoque ut in sepultura eorum qui Consociationibus quibusdam adscripti sunt, adhibeantur, sive intra, sive post Ecclesiæ cæremonias, variæ observantiæ superstitiosæ, imo et impiæ: has Synodi Patres reprobant et damnant.

4° Quod attinet ad eos quibus denegandus est honor Ecclesiasticæ sepulturæ, serventur præscripta in Rituali Romano. Attamen in applicandis his regulis, maxima utantur Parochi prudentia. Nimium rigorem vitent qui odia ac turbas in Ecclesiam ejusque Ministros excitaret; necnon caveant pariter a nimia indulgentia quæ Fidelibus præberet scandalum, et sanctitatem Religionis læderet. Generatim non denegetur Sepultura iis omnibus qui ante mortem signa veræ pœnitentiæ dederint. De cætero, in casibus difficilibus, recurratur, si sit possibile, ad Episcopum.

TITULUS SEXTUS

DE CLERO.

CAPUT PRIMUM.

De dignitate et auctoritate Episcoporum, deque obedientia et reverentia ipsis debita.

Teterrimus certe hujus sæculi morbus est effrenata animi proclivitas ad omni potestati contradicendum et resistendum, ad omnia ipsius jura proculcanda et ad legitimum ejus exercitium spernendum ac criminandum; sed quod pessimum est, plurimos videre licet, qui, sub fallaci progressus nomine, ea quæ de regimine politico passim sentiuntur, ad Sacram Ecclesiæ œconomiam applicare ac transferre contendant, et Episcopalem auctoritatem minuere, ne dicamus evertere, conentur.

Quapropter qualem et quantam a Christo acceperint dignitatem ac potestatem Episcopi, et quanta erga istos debeat esse Fidelium, præsertimque Clericorum obedientia ac reverentia, in memoriam revocare opportunum et necessarium Patribus Concilii visum fuit.

Nemo igitur obliviscatur Episcopos, sicut ait Concilium Tridentinum, *in Apostolorum locum successisse* (1); et teste Apostolo, positos fuisse a Spiritu Sancto, *regere Ecclesiam Dei* (2); quinimo pertinere ad fidem, utpote quod ab eodem Concilio definitum est, ipsos *Præsbyteris superiores esse* (3), et esse hæreticam, declarante Pio VI, in Bulla: *Auctorem Fidei*, propositionem quæ asserit, a communitate Fidelium in Pastores derivari Ecclesiastici Ministerii ac regiminis potestatem. Item esse regiminis hierarchici subversivam, faventem hæresi Aerianæ a Calvino innovatæ propositionem quæ docet reformationem abusuum circa Ecclesiasticam Disciplinam in Synodis Diœcesanis ab Episcopo et Parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere (4).

Itaque omnes, maxime Sacerdotes, obediant *Præpositis suis*, et subjaceant eis; *ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus* nostris *reddituri*, *ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit* nobis (5). In mentem sæpe hæc monita Patrum recolant: *Omnes sequimini Episcopum ut Christus Patrem* (6). Et: *Esto subjectus Pontifici tuo, et quasi animæ parentem suscipe* (7). In quo Sacerdotes etiam memores sint solemnis hujus promissionis emissæ coram altari, die ordinationis suæ, qua sese obstrinxerunt Prælatis suis ad præstandum canonicam obedientiam.

(1) Conc. Trident. sess. 23. cap. 4.
(2) Act. 10. 28.
(3) Conc. Trid. sess. 23. can. 7.
(4) Prop. IX.
(5) Ad Hebræos. c. 13. ℣. 17.
(6) S. Ign. in Epist. ad Smyrn. n° 8.
(7) S. Hieron. in Epist. ad Nepot.

Cum ergo tam sacra sit et inconcussa Episcoporum dignitas et auctoritas, Provincialis Synodus reprobat ac repellit omne, sive verbum, sive scriptum, sive aliud, quo illa possit in mentibus Fidelium labefactari.

CAPUT SECUNDUM.

De Episcoporum officiis.

1° Cum, prout declarat Concilium Tridentinum : « Præ» cepto divino mandatum sit omnibus, quibus ani» marum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his » Sacrificium offerre, Verbique divini prædicatione, Sacra» mentorum administratione ac bonorum omnium operum » exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium » personarum curam paternam gerere, et in cætera munia » pastoralia incumbere (1) ; » Obtestamur omnes et singulos Provinciæ Episcopos ut meminerint semper se obligari ad personalem in *sua Diœcesi residentiam ubi injuncto sibi officio defungi teneantur* (2).

2° In singulis Provinciæ Diœcesibus pii Secessus pro Sacerdotibus, hucusque tam utiles, sedulo retineantur. Convocetur etiam Diœcesana Synodus, præsertim quando celebratum fuerit Concilium Provinciale.

3° *Item Episcopi propriam Diœcesim per seipsos*, *aut*, *si legitime impediti fuerint* (3), per viros idoneos *visitare non prætermittant* quam sæpissime poterunt. Et quoniam *prædicatio Evangelii est præcipuum Episcoporum* munus, tenentur ipsi, *per seipsos, si legitime impediti non fuerint*,

(1) Conc. Trident. sess. 23. cap. 1.
(2) Conc. Trident. sess. 23. cap. 1.
(3) Ex Eod. sess. 24. cap. 2.

ad prædicandum Sanctum J. C. Evangelium (1). Quod si forte perdifficile foret Episcopos, qui latioribus Diœcesibus sunt præpositi, omnes suas Ecclesias perlustrare et in eis concionem habere, eos tamen hortatur hæc nostra Synodus, ut Apostolorum exemplo populum sæpius per litteras invisant (2), consolentur et instruant præcipue de Fide Catholica tenenda et pessimis hujusce temporis erroribus vitandis.

4° Meminerint pariter Episcopi se facultatem habere corrigendi et puniendi subditorum suorum, imprimis Clericorum, excessus, crimina et delicta, extra etiam visitationes. Videant insuper ne, ex eorum incuria aut inertia, aliquod damni patiantur subditi, neve precibus vel nimio affectu aut ambientium suggestionibus deducti, minus recte agant in exercitio Ministerii Sacri; ait enim Apostolus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (3).

5° Tandem in audiendo faciles, in respondendo mites, patientes in sustinendo, in corripiendo misericordes, et in consolando promptiores sese exhibeant (4).

(1) Ex Eod. sess. 5. 2.
(2) Conc. Tolos. 1590.
(3) Gal. 1. 10.
(4) Conc. Ebred. 1727.

CAPUT TERTIUM.

De Synodo Diœcesana.

Ex Sanctis Canonibus institutæ sunt Synodis Diœcesanæ ad mores reformandos, disciplinam instaurandam, augendamque fidem et pietatem. Quapropter, in qualibet Diœcesi nostræ Provinciæ celebretur, ad promulganda hujusce Concilii decreta, Synodus ad quam convenire debent omnes et singuli qui de jure vel consuetudine tenentur, quales sunt Canonici et Parochi titulares, quibus adjungi poterunt aliquot Parochi ex illis qui dicuntur gallice *Desservants*, vel alii Sacerdotes ex variis partibus Diœcesis vocati. In ipsa autem Synodo tractetur de rebus ad morum honestatem ac regimen animarum pertinentibus, item, si placuerit, orationem exhortatoriam habeat Episcopus, Clerumque moneat eorum præsertim quæ sunt Pastoralis officii. Legantur etiam statuta Synodalia, quæ pro temporis opportunitate et ratione vel augeantur, vel minuantur, vel immutentur, prout Præsuli videbitur.

Et si pro paterno affectu, ut plurimum Sacerdotum consilium requiratur; non immemores sint isti se, in iis Synodis, nullum habere jus quo debeant ab Episcopo consuli, multoque magis carere se omni potestate decernendi, seu, ut dicitur, voce deliberativa aut decisiva: quod tum sæpius antea fuit ab Ecclesia reprobatum, tum recentius a PIO VI in Bulla: *Auctorem Fidei* (1).

(1) Prop. IX.

CAPUT QUARTUM.

De Capitulis et Canonicis Cathedralibus.

1° Perantiqua est et venerabilis admodum Capitulorum Cathedralium institutio. Primæ Diœceseos Ecclesiæ assignati sunt Canonici, ad orationis publicæ munus implendum divinique officii majestatem præsentia augendam, præsertim Sacra faciente Pontifice, et ut quasi Senatus Episcoporum circumstent, cui in rebus difficilioribus adjumentum et in ærumnis solatium afferant, sintque adunati velut membra capiti, non alienum a se arbitrantes quidquid ad partes aut honorem spectat Antistitis, sed eum ut parentem venerantes et diligentes, cui ipsi filii sunt et Fratres dilectissimi.

Capitulorum institutio in præsenti existens, licet antiquiori in multis dissimilis, eadem tamen est in essentia. Concilii Patres pro certo habent institutionem hanc prorsus canonicam esse, et illius statuta, utpote ab Episcopis prolata vi auctoritatis Apostolicæ, fideliter esse servanda.

2° Quod si experientia compertum fuerit, quidquam in statutis istis deficiens esse aut temperandum, id Episcopi, consultis Capitulis, emendandum et moderandum suscipiant: immutationes vero et temperamenta præsentibus statutis, unanimitatis causa in tota Provincia servandæ, addenda de communi Episcoporum consilio decernentur, salvis tamen privilegiis particularibus, et approbanda deferentur ad Sedem Apostolicam.

3° Hic ad mentem revocare libet quæ prima sint inter Canonicorum privilegia et munia; orationis scilicet publicæ munus exsequendum; Missa conventualis quotidie celebranda, et pro Benefactoribus offerenda etiam singulis diebus nisi dispensatio fuerit a Summo Pontifice obtenta; horæ canoniales in choro persolvendæ secundum mensuram huic officio ab Episcopis ex auctoritate S. Sedis assignatam. Debent illi *personali* præsentia choro assistere, neque huic debito ii satisfacerent, qui sine legitimis causis Episcopo probatis vice sui alium sufficerent, cum residentiæ onus in hoc constet, quod in choro Canonici personaliter adsint.

4° Canonici etiam zelo zelentur ut res divina in Cathedrali Ecclesia digne et solemniter perficiatur; ut serventur accurate Ritus Sacri et Cœremoniæ omnes, ordoque tandem et disciplina, quæ sunt vigilantiæ Canonicorum credita, maneant inconcussa.

5° Nec minore diligentia accurrant in Conventus capitulares, vocante vel annuente Episcopo, sive in casibus a lege prævisis, sive in aliis casibus non prævisis, universi aut singulatim doctrinæ suæ et prudentiæ præsidium daturi.

6° Præcipua hæc sunt Capitulorum prærogativæ et jura: ut præcedentia gaudeant super quodcumque corpus ecclesiasticum; ut per legatos adsint Concilio Provinciali indicto a Metropolitano, indictionis illius certiores facti ab Episcopo; ut administrationi Diœceseos provideant, sede vacante. Hanc autem administrationem non assumat ipsum Capitulum, sed exerceat per unum aut plures Vicarios Generales, non eo tamen numero ut sua jura videatur Capitulum collective exercere et contra mentem Ecclesiæ agere.

Unanimes tandem et in omni concordia permanentes,

exemplo sint Clero amore mutuo, intimo consensu cum Prælato, fideli Statutorum et Regularum Diœceseos observatione, ut qui dignitate cæteris præstant, virtutibus et præstent eximiis.

CAPUT QUINTUM.

De Parochorum et aliorum Clericorum officiis.

1° Quoniam Presbyterorum qui Parochialibus Ecclesiis præsunt, munus est subditorum curam gerere ([1]), sciant se pro animabus rationem esse reddituros. Idcirco declarat hæc Synodus Provincialis eos obligari ad personalem in sua Ecclesia residentiam, ut injuncto sibi officio defungantur. Sine causa igitur ab ea non absint, et Statuta Diœcesana ea de re fideliter servent, scientes interea se officio deesse, et attenta legis mente, reos esse, quoties litteræ soli Statutorum adhærentes, spiritum eorum eludunt repetitis absentiis, curando tantum ut quælibet absentia limites temporis, quos fixere Statuta, non excedat. Non modo autem Parochiæ suæ sint præsentes, sed et officia sua in ea expleant. Unde « diebus saltem Dominicis et Festis » solemnibus, plebes sibi commissas pro sua et earum capa- » citate pascant salutaribus verbis..... docendo quæ scire » omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis » cum *brevitate*, *simplicitate* et *facilitate* sermonis, vitia » quæ eos declinare et virtutes quas sectari oporteat ([2]). »

2° Ut autem Parochi hoc officio melius defungantur, ut supra diximus, hortamur eos ut Catechismum Romanum

([1]) Conc. Trid. sess. 23. *De Reform.* 1.
([2]) Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. *De Reform.*

in promptu habeant, et ad ejus normam doctrinam et præsertim dogmatum cognitionem semper necessariam tradant, ac frequenter Sacram Scripturam et Homilias SS. Patrum legant, ex quibus ea ducant, quæ ad instructionem populi sui et ædificationem videbuntur conducere. Sicque verbo et orationi instantes, in omni patientia et charitate, oves suas errantes, ad Pastorem animarum J. C. reducant.

3° Meminerint ad eos pertinere ut diligenter de pauperibus suæ Parochiæ inquirant; quibus et ipsi pro viribus opitulari et alios suo exemplo et hortatu ad id officium incitare studeant.

Libros vel catalogos parochiales accurate conficiant.

4° Caveant imprimis ne quis eorum culpa, sive parvulus sine Baptismo, sive adultus Sacramentorum auxilio destitutus, e vivis excedat. Ægrotos autem et senio confectos sæpe invisant et consolentur.

5° Pueros diebus Dominicis et Festivis saltem fidei rudimenta, juxta Catechismum Diœcesanum, diligenter doceant. Quod ut majore cum fructu præstent, optamus ut emantur tribuanturque ad eos excitandos præmia; sicut enim nervus belli est pecunia, ita quasi nervus Catechismi sunt munuscula.

6° Post primam Communionem Catechismum perseverantiæ, ut jam alibi dictum est, instituant Parochi, ad complendam puerorum puellarumque instructionem, pietatem fovendam, moresque servandos.

7° Diligens sit Parochorum cura in scholis fovendis; et ubi deficiunt Clerici ad obeunda munia Ecclesiastica in Divinis Officiis sacrisque Cæremoniis, tales laici, sive viri, sive pueri ad legendum, psallendum, altaribus serviendum,

aut quodlibet aliud simile exequendum, eligantur, qui ea diligenter et cum debita devotione persolvere queant. Qui vero hæc recte et decenter peragere nesciunt, erudiantur prius, ut fidelibus ædificationi sint.

8° Novas autem indulgentias, prophetias, novaque miracula annuntiare ne præsumant, quæ approbata non fuerint ab Ordinario. In concionibus ne fiat mentio ab eis rerum et negotiorum sæcularium et profanorum vel ad gubernia temporalia pertinentium, necnon abstineant a conviciis et objurgationibus nimis acerbis quæ quasdam personas quasi nominatim perstringere videantur ([1]).

9° Informent quoque et exerceant Vicarios suos ad omnia Sacri Ministerii munia obeunda. Vicarii autem revereantur Parochos suos ut Patres, et a Parochia fere non absint sine eorum consensu.

10° Alumnos Seminariorum specialiter eis commendamus, hortamurque eos in Domino, ut ad Episcopos vel ad Superiores referant fidenter quidquid de illorum actibus aut moribus noverint esse minus statui Clericali congruum.

11° Hortamur quoque Episcopos Comprovinciales Nostros, ut quam primum fieri poterit, ad communem vitam incundam Parochos et Vicarios perducere studeant, bonum enim est *et jucundum habitare fratres in unum* ([2]).

12° Parochi autem et Clerici omnes a nimia cum Parœcianis familiaritate abstineant; negotiis secularibus non se temere immisceant; inter discordes et litigantes, semper et præsertim in hac tempestate, pacifici incedant. A luxu,

([1]) Conc. Burd. 1583.
([2]) Ps. 132. v. 1.

comessationibus, aleis, nundinis, ludis publicis, venatione et indiscreto medicinæ exercitio, sint prorsus alieni. Veste talari in loco suæ residentiæ sint semper induti. Mulierum colloquia, ut maxime periculosa, et omnia suspecta consortia devitent.

13° Exerceant autem seipsos secundum verba Apostoli, *ad pietatem: pietas enim ad omnia utilis est* (1). Sint ergo exemplum Fidelium *in verbo, in conversatione, in charitate* præsertim inter se, *in fide, in castitate, in sobrietate.* Intendant *lectioni et doctrinæ; labia* enim *Sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus* (2); et qui repellit scientiam, Deus eum repellit ne fungatur Sacerdotio suo (3).

14° Abstineant item a librorum aliorumve scriptorum lectione, qua bene agendi studium, morum disciplina, charitas, atque timor Dei minui possent.

15° Insuper omnino Provincialis hæc Synodus prohibet, ne, pro se vel suis emant prædia, sive agros, sive domos, intra Parochiæ fines.

16° Parocho etiam vetitum est ne faveat sororibus, fratribus, filiis vel filiabus fratrum et sororum, vel eisdem opem ferat eo fine, ut in territorio Parochiæ quam regit, valeant inire matrimonium. Nec nisi prudenter et caute eos etiam secum permittat habitare parentes quorum contubernium Canonibus permittitur.

17° Horreant et sedulo vitent quidquid redolere potest

(1) 1 Epist. ad Thim. 4.
(2) Malach. 2. 7.
(3) Osée 4. 6.

captationem testamentorum; insuper non se immisceant, generatim loquendo, rei testamentariæ.

18° Ne incurrant vel etiam suspicionem cupiditatis et avaritiæ, caveant ne sæpius loquantur, et præsertim publice, de stipendio, ut dicunt, casuali.

19° Expresse illis prohibitum est, ne se fidejussores præstent pro debitis et obligationibus parentum, vel etiam alienorum, vel syngraphas subscribant, cum locus est timendi ne futuri sint impares solvendo, aut possint vocari coram judice et in carcerem detrudi.

20° Hortamur quoque Clericos omnes ad frequentem lectionem Statutorum Diœceseos.

21° Vestitus Clericalis usualis, et etiam habitus choralis (excepto tamen habitu Canonicorum) sit uniformis et idem in singulis Diœcesibus Provinciæ.

22° Tandem Synodus enixe Parochos obsecrat, ut sint in ministerio suo exercendo omnino solliciti ac studiosi, ardentemque animarum ipsis commissarum zelum habeant ac demonstrent, sciantque nihil esse magis Deo acceptum, societati christianæ atque etiam civili utilius, et ex quo ampliora percipiant singuli Fideles bona, quam ipsorum officium accurate sancteque expletum, et se hanc mercedem operis sui assecuturos ut fulgeant in *Cœlo quasi stellæ in perpetuas æternitates* [1].

[1] Dan. 12. 3.

CAPUT SEXTUM.

De Parochis gallice dictis: Desservants.

1° Rectoriam curam sub nomine *Deservientium* obtinentes, licet ex institutione sua sint ad nutum Episcopi amovibiles, eadem ac Parochi officia, necnon ex concessione Episcoporum, eadem jura quoad Parochiæ suæ administrationem exercent.

2° Præsentem hunc regiminis Ecclesiastici ordinem, quamvis regimini a pluribus ante seculis vigenti dissimilem, nihil tamen, aut menti Ecclesiæ, aut Ministerii Sacri naturæ habere contrarium censet et declarat Synodus, cum ille tum in primis seculis, tum variis postea temporibus reapse floruerit.

3° Non possunt ergo non dolere Patres hujus Provincialis Synodi, quod tam acriter mota fuerit, paucis ab hinc annis, hac in Provincia Avenionensi, de illa quæstione controversia, quæ in multis Galliarum Diœcesibus non leves dissensiones excitavit. Spectatis etenim antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, et diligenter perpenso jure novo e Concordato Pu VII, e reclamationibus Cardinalis Legati Caprara contra *articulos organicos*, in quibus reclamationibus nullo modo amovibilitas deservientium redarguitur, atque e Summorum Pontificum declarationibus inducto, aliter sentiendum non esse, quam modo dictum est, decernit hæc nostra Synodus.

4° Itaque hæc monet et hortatur, ut ad omnem ea de re controversiam præcludatur regressus, et huic disputationi finis imponatur, præsertim cum ex declaratione GREGORII XVI et PII IX, illa gravissimi hoc tempore momenti quæstio judicio Sanctæ Sedis sit reservanda, et revera a Synodo reservetur.

5° Verumtamen pro charitate paterna, qua istos cooperatores Ministerii nostri Pastoralis complectimur, ordinarie nullus eorum, in singulis Diœcesibus Provinciæ, a sua Parochia invitus amovebitur aut tolletur, nisi prius inquisito officialitatis aut auditorii nostri privati consilio.

CAPUT SEPTIMUM.

De Foro Episcopi.

Officialitatis Institutum, a longo quidem tempore vigens ad ordinariam jurisdictionem Episcoporum contentiosam exercendam, tempore autem perturbationis rerum in Galliis intermissum, Provincialis hæc Synodus, licet nulla lege ad id adstringatur, restituit tamen quantum præsenti Ecclesiæ statui accommodari potest, sperans plura exinde nascitura esse emolumenta. Itaque ad unam et eamdem rationem judicandi servandum in tota Provincia Avenionensi, Episcopi ejusdem Provinciæ communi consilio regulas condent, quibus Tribunal prædictum constituatur.

TITULUS SEPTIMUS

DE ORDINIBUS RELIGIOSIS

ET PIIS CONGREGATIONIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Regularibus.

1° Quandoquidem Regulares non modica subsidia Ecclesiæ militanti jam a tanto tempore præstiterunt, et nunc etiam eadem atque plura alia Religioni Catholicæ præstare possint, tum præbendo omnium virtutum exempla, tum pro salute mundi preces effundendo, tum suscipiendo et exequendo omnis generis opera, sive ad misericordiæ et charitatis exercitium pertineant, sive ad gloriam Dei, zelum animarum, et scientiarum cultum conducant, hortamur eos omnes ut semper Nobis, in agro Domini excolendo, pios auxiliatores et strenuos cooperatores sese exhibeant.

2° Attamen, ut omnia in Ecclesia Dei cum ordine fiant, nullum deinceps Monasterium regulare sive virorum, sive mulierum, in nostra Provincia instituatur absque Summi

Pontificis aut generali approbatione aut speciali concessione, et licentia Ordinarii.

3° Omnis autem domus regularis, sine prædicta auctoritate Sanctæ Sedis fundata, maneat omnino sub jurisdictione Episcopi.

4° Ut etiam multa devitentur incommoda et defectiones semper dolendæ, mandamus juxta mentem SS. PII IX nunc gloriose et sancte regnantis, ne ullus Monasterii Superior novitium quemlibet admittat, nisi iste præbeat vitæ bonæ et christianæ testimonium, ex parte Episcopi tum originis, tum domicilii (1).

5° Meminerint quoque Superiores nullam renuntiationem, aut obligationem antea factam, etiam cum juramento, vel in favorem Monasterii aut cujuscumque causæ piæ, valere, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem.

6° Sciant etiam omnes Regulares se ad Processiones publicas vocatos accedere compelli posse, ex Concilio Tridentino (2), iis tantum exceptis qui in strictiori clausura perpetuo vivunt, aut aliquo privilegio et exemptione gaudent (3). Item vocati ad Synodum Diœcesanam accedere tenentur, nisi Capitulis generalibus subdantur.

7° In Ecclesiis etiam suorum Ordinum prædicare non possunt, nisi antequam prædicare incipiant, se personaliter coram Episcopis præsentaverint, et ab eis benedictionem petierint. In Ecclesiis vero quæ suorum ordinum non sunt,

(1) Conc. Trid. sess. 25. 16.
(2) *Ibid.* sess. 25. 13.
(3) *Ibid.* sess. 24. 2.

non tantum benedictionem Episcopi, sed et licentiam habere tenentur ([1]).

8° Nullus quoque regularis confessiones secularium etiam Sacerdotum, ex eodem Concilio Tridentino, audire possit, nisi ab Episcopis per examen aut alias idoneus judicetur et approbationem obtineat ([2]).

9° Insuper, cum perfectio religiosa maxime pendeat a servatis scrupulose votis obedientiæ, castitatis et imprimis paupertatis, sedulo meminerint Religiosi omnes horum quæ Deo promiserint, attendant regulas sui ordinis et præscriptiones Concilii Tridentini, ut eas servantes se ipsos et multos secum salvos faciant. Faxit autem Deus ut nostris in regionibus multiplicentur istæ religiosæ familiæ, quæ sunt temporum difficultate nimium imminutæ.

10° Monasteria autem Sanctimonialium Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subjecta, ab Episcopis, tanquam dictæ Sedis delegatis, gubernentur.

11° Tandem omnes Fideles nostrarum Diœceseon monemus, ne eodem animo habeant et confundant pios et vere approbatos Religiosos, cum nonnullis eremitis aut hujusmodi aliis falsis fratribus; illos veneratione et pietate prosequantur, istos autem prudenter recipiant atque tractent.

([1]) Trid. sess. 5. 2.
([2]) *Ibid.* sess. 23. 15.

CAPUT SECUNDUM.

De Monialibus piisque mulierum Congregationibus.

1° Quoniam certe ex variis Monialium institutis, et religiosis mulierum Congregationibus recte et sancte ordinatis et administratis, multum in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oritur, sive erudiendis puellis in scholis dent operam, sive in nosocomiis ægrotorum, viduarum, orphanorum, infantulorumque derelictorum, necnon pauperum et infirmorum curam habeant, sive præsint his institutionibus vulgo dictis *Crèches, Salles d'asile, Refuges, Providences, etc.*, sive tandem spiritualibus tantum exercitiis vacent; voluit Provincialis Synodus, has erga Sanctimoniales et pias mulieres, Pastoralem ostendere sollicitudinem; *quo enim*, ut ait Sanctus Cyprianus, *illarum sublimior est gloria, eo etiam majorem curam exigit* (1), quam curam certe Episcopi libenter impendere debent, præsertim hodie, cum ipsis omnes feminarum Congregationes plene sint subjectæ. Invigilent itaque, ut ea quæ legibus ecclesiasticis de vivendi illarum ratione sunt constituta, exacte observentur.

2° Ut autem ad regulæ quam professæ sunt præscriptam vitam instituant, serventque constitutiones suas et laudabiles consuetudines, et ut ampliorem auctoritatem ha-

(1) Lib. de hab. Virg.

beant hæ constitutiones, si nondum approbatæ fuerint, Episcopi quam primum fieri poterit, eas a Summo Pontifice probandas curent.

3° Nullæ, in posterum, Monialium quantumvis approbatarum domus in Paræciis Provinciæ erigantur, nisi de Ordinarii licentia. Interdicuntur vero omnes Congregationes puellarum, nisi prius a Sancta Sede aut saltem ab Episcopo approbatæ fuerint.

4° Approbatas vero, Episcoporum Provinciæ sollicitudini iterum atque iterum commendamus. Curent ergo ut præficiantur his salutaribus Institutis Superiores, eligantur et Confessarii scientia, prudentia, ætatis maturitate et experientia pollentes, necnon fide, charitate, pietate et omnibus virtutibus conspicui.

5° Sed præter ordinarium Confessarium, alius extraordinarius, ad mentem Concilii Tridentini (1), bis aut ter et etiam quater in anno Monialibus offeratur, quem adire teneantur singulæ; saltem ad salutaria monita ab eo accipienda. Moniali quoque in mortis articulo constitutæ detur facile specialis Confessarius. Superior vero non facile confessiones Monialium audiat, ut plena sua libertate gaudere possit in earum externo regimine; et si commode fieri potest, ordinarius Confessarius ad triennium tantum approbetur pro eodem Monasterio (2), saltem clausuræ subjecto, et quandiu Confessarius extraordinarius ministerio suo fungitur, ille non audiat confessiones Monialium, nisi aliter visum sit Episcopo.

(1) Conc. Trid. sess. 25. 10.
(2) Ex declar. Cong. Concilii et Regul.

6° Nos etiam verbis Conc. Trid. adhærentes decernimus, ut in futurum nulla mulier, in quolibet instituto in nostra Provincia existente, professionem emittat aut etiam habitum religionis recipiat, nisi prius ipsius voluntatem examinaverit Ordinarius aut ab eo delegatus. Inquirat insuper Episcopus, num alias etiam habeat corporis animique dotes ad vitam religiosam in tali instituto traducendam.

7° Electiones Superiorissæ, Priorissæ non fiant inconsulto Episcopo, neque valeant nisi ab eodem fuerint approbatæ.

8° Ordinarie sine parentum consensu ne admittatur puella etiam ætate major, nisi gravissimis de causis et consulto Episcopo. Semper ante professionem omnia quæ ad dotationem pertinent, pacto authentico statuantur, ut sic omnis difficultas ex parte secularium tribunalium vitetur. Ut vero horum omnium observantiam obtineant Episcopi, Monasteria in suis Diœcesibus existentia, quoties opus erit, invisant per se, aut per viros idoneos. In hac visitatione, attente inquirant de omnibus necessitatibus spiritualibus aut temporalibus omnium et singularum Monialium; scientes in istis Institutis summam vigilantiam et sedulitatem requiri etiam in rei domesticæ administratione.

9° Cum raro perfecta charitas et filialis obedientia exigi possint a Monialibus, nisi vitæ communis conditiones, congruo vestium, alimentorum et remediorum subsidio non deficiente [1], facile conservari queant, frequens ideo debet esse computorum recensio et recognitio, ne Monialium ad annuorum redituum dispensationem electarum imperitia res communitatis negligenter aut improvide geratur.

[1] Conc. Aven. 1725.

10° Tandem omnes nostræ Provinciæ Sanctimoniales hortamur, ut nunquam immemores sint quam stricte fidem suam erga Deum et Ecclesiam obligaverint per professionem religiosam et emissionem votorum castitatis obedientiæ et præsertim sanctæ paupertatis quæ semper vitæ religiosæ nervus fuit solus aut saltem præcipuus. Illæ ergo suas ea de re Sanctas Regulas stricte observare studeant, scientes quod si ad votum paupertatis solemne exigatur ordinarie ab Ecclesia renuntiatio tam capacitatis omnis dominii quam independentis usus, ad votum simplex sed perfectum paupertatis requiratur absolute renuntiatio saltem usus independentis cujuscumque rei.

11° Idcirco ne Superiores aut Superiorissæ nimis facile in hac materia concedant dispensationes, decernimus, salvis tamen hac in re sicut in cæteris, cujuslibet Ordinis et Congregationis constitutionibus et regulis approbatis, ut in posterum, sine Ordinarii licentia, nulla detur dispensatio satis gravis, sive ratione temporis, sive ratione rei, sive etiam ratione effectus quem habere potest dispensatio in moribus assuetis Monialium. Monemus insuper ut, quotiescumque agendum erit cum Novitia aut Moniali de donatione bonorum suorum in favorem Monasterii, ultra dotationem legitimam, nihil fiat inconsulto Episcopo.

TITULUS OCTAVUS

DE POENITENTIUM CONFRATERNITATIBUS
ET ALIIS PIIS SODALITATIBUS
VIRORUM AC MULIERUM.

CAPUT UNICUM.

Quædam statuuntur in Confraternitatum Sodalitatumque incrementum et utilitatem.

Ad suam testandam sollicitudinem erga Confraternitates *Pœnitentium* aliasque pias virorum ac mulierum Sodalitates, et ad arcendos abusus qui aut jam irrepserunt aut facile irrepere possent, hæc Synodus sequentia statuit ac decernit.

1° Nulla in posterum erigatur Confraternitas aut Sodalitas in hac Provincia absque Ordinariorum consensu et approbatione prævia, quæ quidem ut socientur cum Romanis aut aliis Archiconfraternitatibus requiritur.

2° Si quæ Confraternitates non habeant Statuta scripta, quam primum conficiantur ab Ordinario approbanda.

Antiquarum Confraternitatum Constitutiones recognoscendas præcipit Synodus, ut, si quæ sint observantiæ ho-

diernis moribus minus accommodatæ, expungantur; exemplar autem authenticum regularum hujusmodi deponetur in Episcopali Cancellaria.

3° Sciant Sodales et præsertim Sodalitatum Rectores, se Episcopis in omnibus subjacere. Sodalitia autem in Ecclesiis Parochialibus, vel in Oratoriis Ecclesiæ Parochiali in subsidium annexis, directorem habent Parochum aut ejus delegatum, nisi aliter Ordinario visum fuerit.

Quæ vero Confraternitates Oratoria habent extra Parochialis Ecclesiæ mancipium, jurisdictioni Ordinariorum immediate subjiciuntur, qui eas Sacerdoti, cui libuerit, administrandas committent, salvis tamen, de jure, Parochorum attributionibus. Unde cavebunt summopere Sodalitates ne Missæ, Officia, piaque exercitia eadem hora celebrentur qua Missa Parochialis et Officium vespertinum.

4° Exercitium quodcumque præter consuetudinem in suis Oratoriis, vel extra eorum ambitum celebrare non præsumant Sodalitates absque prævia Parochi, aut ubi opus fuerit, Episcopi licentia, requirenda pariter sive agatur de Sanctissimo exponendo Sacramento, aut de Benedictione danda. Non asservetur item Sacrosancta Eucharistia in præfatis ædibus, nisi de legitima auctoritate.

5° Sancimus Confraternitatem quæ Processionibus generalibus vel per annum solitis, vel ab Ordinario indictis, invitata assistere neglexerit, hoc anno propria Processione aut assistentia Processioni annuæ in Festo Corporis Christi privandam fore. Non protrahantur nocte confratrum Processiones extra Parochialis Ecclesiæ aut Sacelli ambitum.

6° Ea Confraternitas locum honoris teneat cujus institutio antiquior est, aut cui tribuit consuetudo jus præcedentiæ. Mulieres tamen nunquam præcedant viros.

7° Singulis annis ratio reddatur æris accepti aut impensi Ordinario vel ejus delegato.

8° Singulæ Confraternitates habeant catalogum Officialium et Sodalium, tabellas et codices rationum et computorum, de rebus gestis instrumentorum, fundationum, affiliationis et indulgentiarum, et album tandem benedictionum Sanctissimi Sacramenti sub sigillo Episcopi.

9° Sodalitiis aggregentur ii, sive viri aut mulieres, qui non solum adimplent præceptum Communionis Paschalis, sed de quibus etiam sperandi locus est perseverantiam et bonum exemplum. In cœtibus qui habentur diebus dominicis et festivis Sodales non tantum verbum Dei audiant, sed orationi, lectioni spirituali et sanctis operibus vacent, proculque recedant a comessationibus, choreis et cæteris quæ scandalum pariunt.

10° Sodalitia puellarum et matronarum quam maxime foveat in Domino sollicitudo Pastoralis. Per hæc enim a profanis vanitatibus mundique illecebris arcetur sexus debilior, Sacramenta frequentantur, et religio efflorescit.

11° Sunt et alia Sodalitia, seu potius Societates artificum et operariorum a bono non negligendæ Pastore, qui, recurrente festo Patroni, breviter et adamanter in Missa Sodales allocuturus est, ut ipsis det salutis monita eosque ad servanda Dei et Ecclesiæ mandata adhortetur.

12° Ad æs autem Confraternitatum utriusque sexus quod attinet, principaliter impendatur charitatis officiis. Si Sodales, pecunias vel a fratribus quotannis in commune collatas, vel a fidelibus sponte oblatas et quæsitas nedum in effusos inutilesque sumptus dissiparent, sed e contra asservarent coactas, imo licitis prudenter augerent mediis, pro certo

tenent Concilii Patres, vix umquam pauperibus, egenis, captivis, ægrotis, non conductis subsidium in eorum necessitatibus defuturum. Ea Patrum Concilii mens est, ut Confratres, de mutuo sibi invicem præstando auxilio, quasi pactionem agant; sic enim, duce charitate et pietate, decus, gaudium, et exultationem Sanctæ Matri Ecclesiæ comparabunt, necnon Nobis solatium ut filii dilectissimi.

TITULUS NONUS

DE EXERCITIO CHARITATIS CHRISTIANÆ.

CAPUT UNICUM.

De exercitio Charitatis in Ecclesia Catholica et de quodam instituto mutuæ beneficentiæ in Provincia Avenionensi fovendo et propagando.

Inter ea quæ Episcopalem sollicitudinem requirunt, non potuerunt Patres hujus Concilii quæ ad Christianæ Charitatis officia, curamque miserorum pertinent, prætermittere, præ oculis habentes Sanctos Apostolos, qui tanto studio pauperum necessitatibus providebant. Hi enim, cum essent gloriæ divinæ promovendæ unice intenti, animo infixam semperque præsentem habebant Sanctam Fraternæ dilectionis legem, quæ *præceptum* Christi *est, et mandatum novum et plenitudo legis*, debitumque indeficiens, de quo Apostolus: *Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis.* Eorum viscera certe commovebantur temporum cala-

mitatibus et angustiis egenorum, in quibus agnoscendus est Christus, qui cum dives esset, *propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus.*

Multa sane videre est a secularibus viris ad miserorum levamen tentata, sed quæ parum prospere successerunt; nam sola *charitas*, quam non gignit et inspirat nisi Christi fides, *intelligit super egenum et pauperem.* Non pauci sunt qui conditionis humanæ et antiquæ prævaricationis obliti, propter quam dictum est homini: *Maledicta terra in opere tuo..... spinas et tribulos germinabit tibi, et..... in sudore vultus tui vesceris pane*, varia excogitarunt systemata, ut ab ista lacrymarum valle omne miseriarum genus depellerent. Hinc vero factum est, non ut dolor et egestas aufugerent, sed ut ardentior incenderetur præsentis cupido felicitatis, terrenarumque voluptatum amor, et inde nova apud filios Adam oriretur malorum labes. Alio quidem modo indigentiæ providere conata est legalis, ut dicitur, et ex publica auctoritate exercita beneficentia; verum ipsa quidquid videatur utilitatis afferre, manca et in tot tantisque calamitatibus ac miseriis impotens sit necesse est.

Non quidem operibus quæ per ipsam non fiunt, invidet Ecclesia, *dum* enim *omni modo sive per occasionem, sive per veritatem, Christus* in suis adjuvetur et sublevetur, *de hoc ipsa gaudet et gaudebit.* Quis vero non intelligat quam grave, quam amarum sit Episcopis tot familiarum noscere et audire in abscondito gemitus, tot arcanos perspicere dolores, nec eis opportuna posse solatia remediaque afferre, cum ab annis sexaginta suis spoliata opibus maneat Ecclesia, quæ, cum vota Fidelium essent, et pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum, ab illa possidebantur

non ut sua, sed ut Dei ipsius bona. Frigida est nimium, quæ non est incensa christianæ dilectionis ardore, beneficentia; cui adeo ad cor angustiis oppressum miseriaque et egestate constrictum non patent aditus, et in qua non adeo confiditur, ut ipsi committantur amplæ divitum largitates. Itaque *refrigescit Charitas multorum*, dum ii qui Patres orphanorum sunt et viduarum, a publica beneficiorum dispensatione removentur, et humana beneficentia Ecclesiæ patrimonio ditata, et spoliis pinguefacta, Charitatis vices implere tentavit. Non tamen quod in Ecclesia defecerit Charitas, quod absit; permanet enim semperque permanebit, et omni tempore, omnis generis beneficiorum profusione sua ubique vestigia signans.

Quid enim Charitati Christianæ par unquam fuit aut erit ad mundum reficiendum ac recreandum? Ab ipso Ecclesiæ exordio, in Jerusalem, *multitudinis credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.... Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat* (1). Hoc autem libere et ex spontanea charitate factitabatur, non in destructionem dominii privati, siquidem, ut aiebat S. Petrus, quod quisque vendebat *manens manebat ei, et venundatum in* ipsius *erat potestate* (2) donec sponte abdicasset.

(1) Act. Ap. 4. 32.
(2) *Ibid.* 5. 4.

Inde Diaconorum institutio [1]; inde viduarum electio quæ jam *in operibus bonis* testimonia haberent; inde illa, primævis temporibus, facta Ecclesiasticorum bonorum divisio, quorum pars una Episcopo et Clero, pars alia pauperibus, et alia Ecclesiis reparandis et ornandis; hinc hospitia pro peregrinis, infirmis et egentibus erecta, et quidem immenso apparatu, quale illud a Basilio Magno erectum et verbis magnificis a Gregorio Nazianzeno laudatum.

Nec sicut secularis beneficentia, corporales duntaxat necessitates sublevat Ecclesia; verum, ad exemplum benignissimi Salvatoris, omnem semper curam et operam contulit, ut *duplicis substantiæ totum cibaret hominem*. Hinc Monasteria in omnibus regionibus condita, quæ turbatis rebus et exulantibus ab orbe scientiis, non solum pauperibus alimoniam ac fidei doctrinam, sed etiam eorum parvulis litterarum elementa traderent. Hinc illud omnibus seculis celebrandum Vincentii a Paulo, ceu immensæ, inexhaustæ ac vere Catholicæ Charitatis nomen. Inde in civitatibus et vicis remotissimis conditæ undique scholæ quibus præsident Sacræ Virgines, piique viri religiosa sub regula viventes. Inde sub invocatione Sancti Francisci Regis Societas, honestandis et ab Ecclesia sanctificandis conjugiis allaborans, et instituta Consociatio sub titulo *Misericordiæ*, seu Sancti Vincentii a Paulo Monialium, seu *boni auxilii* seu *piarum Matronarum*, quarum est munus domos circumire, ac omnibus opem ferre duplicem, et hæc recens adhuc, sed admodum Ecclesiæ commendabilis, reique publicæ salutifera adolescentum sub ejusdem sancti invocatione Sodalitas. Hinc denique

[1] Act. Ap. c. 6.

jam olim institutæ artificum cujuslibet conditionis Confraternitates, quæ mutuæ subventionis vinculo coagmentabantur. Sic Catholica pietas omnibus omnia facta est, ut omnes faceret salvos.

Hodierni novatores obtendunt beneficia et eleemosynas egenis esse dehonestamento et dedecori. Ergone, ut insanæ consulatur superbiæ, exulabunt ab orbe tantæ virtutes, adeo hominum generi honorificæ, tamque coaptandis invicem Societatis partibus aptæ et efficaces, videlicet, misericordiæ pietas, gratique ac memoris animi sensus? Verum Christiana fides omnino præcavet ne pauper videatur abjectus; dum enim Christum in paupere exhibet honorandum, mentem elevat pauperis ad Deum summum benefactorem, et omnium donorum supremum largitorem; et dum divitis superbiam proterit, ipsumque inania bona qui pro veris commutat, mendicum et debitorem erga egenos constituit, interim misero generosos addit animos, eumque nobilitat fraternæ dilectionis necessitudine et Charitatis divinæ consanguinitate.

Nihilominus, quia dictum est a Salvatore Nostro Jesu Christo beatius esse dare quam accipere, operæ pretium Nobis visum est hæc duo conciliare, nempe honorem victus proprio labore acquisiti, et auxilium rei angustæ præstitum, evecto etiam, si fieri posset, egeno ipso ad hujusce beatitudinis participationem. Posse Nos id assequi faustus probavit successus illius Instituti mutuæ Charitatis dicti nuper in civitate Avenionensi excogitati, cujus ista lex est: modicam in communi ærario pecuniæ summam deponit unusquisque Sodalis, ita tamen ut divites plus conferant et nihil recipiant. Collectis pecuniis emuntur annonæ, quæ

postea infimo pretio egenis venum eunt. Pauper qui potest quotidianis necessitatibus aliquid subtrahere, aliquantulum ipse in illud commune ærarium confert, exortaque deinde necessitate, ei res quibus indiget, venduntur infimo pretio, vel subministrantur necessaria ad ineundos labores, et quæcumque exigit superveniens infirmitas. Sic quæ sua sunt, premente angustia, repetit indigens, nec erubescit, dum communis abundantia ad quam jus legitimu possidet, suæ inopiæ fit supplementum. Sic etiam evenit ut ipsi duro labore victum sibi parantes operarii, dum futuris eventibus provident, interim consociatis bonis operibus, beneficentiæ et communionis non obliviscantur, et singulorum paupertas abundet in divitias simplicitatis eorum. Sic tandem non eximitur a justo labore ignavus, et renovatur, quantum fieri potest primitiva hæc rerum communitas, qua vigente, nullus erat indigens.

Hæc igitur Synodus enixe rogat, ut in singulis Provinciæ Paræciis, etiam ruralibus, aliquod hujus generis institutum erigatur, cui præsideat Parochus adjuncto sibi consilio ex viris Christianæ pietati addictis, vel saltem a Sacramentorum perceptione non omnino alienis. Sollicite curabunt Parochi, ut jam existentes operariorum cujuslibet prædicti generis Sodalitates, quas intimo affectu Concilii Patres approbant, ad pietatem excitentur, et ad præsens Institutum impellantur et dirigantur.

Profecto asserimus ex hac duplici erga egentes operarios misericordia salutem pendere Societatis. Hanc enim vehementer jamdudum commotam, ingenti et lamentabili ruina corruere necesse est, nisi apud plebem vim suam exerat Religio, simulque etiam miserorum angustiis subveniatur,

et ita animorum æstus, ab aliquanto jam tempore horrendum in modum effervescentes, restinguantur. Ecclesia vero ad suorum salutem novit orare, cum Apostolo, ut *quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* Omnia igitur cum ipso *faciamus propter Evangelium, ut participes ejus efficiamur.*

Cum hæc tanti sint momenti, invigilabunt Episcopi, ut in suis Diœcesibus hoc Synodi votum perficiatur. Ipsi, in quantum licebit, hæc pia dirigent Instituta, et iis in sua civitate præsidebunt, atque in visitatione Diœceseos de singulis illis sedulo inquirent. Sex ante Provinciale Concilium quolibet triennio agendum, mensibus, a Parochis ad se mitti curabunt scriptum indicem, in quo designentur dona Societati collata, et per ipsam distributa, nomina Sociorum, fructusque præsertim spirituales, ex hoc Instituto provenientes.

Cum autem tanto operi quod muneri Pastorali superadditum venit, solus sufficere non possit Episcopus, mandabit ipse vel Vicariis Generalibus, vel aliquibus de Capitulo, ut ea de re cum Parochis scripto aut viva voce conferant, et de omnibus ad Episcopum referant.

TITULUS DECIMUS

DE STUDIIS.

CAPUT PRIMUM.

De Doctrina Christiana, Litteris, Philosophia ac Theologia addiscendis et docendis.

1° Quanti sit ut Sacerdotes studio incumbant, tum ad Dei gloriam ac Ecclesiæ Matris honorem, tum ad salutem animarum, tum ad propriam sui ipsorum utilitatem non est quod prolixe hic demonstremus, cum neminem de hoc adversarium timendum habeamus, nec ullus sit qui non videat quam lugenda ex hujus officii neglectu mala irrumperent, quæ Christianam rempublicam horrende fœdarent.

Quapropter omnes Sacerdotio fungentes obtestamur, per viscera Christi, ut attendant quotidie lectioni et doctrinæ, ac tantam cognitionum supellectilem comparare satagant, quanta eos esse munitos et ornatos postulat Dei gloria atque voluntas, et injuncta requirunt ministeria.

2° Quoniam autem ad hunc tam optandum finem nihil magis conferre compertum est, quam rectam Studiorum

institutionem in Seminariis, quamvis ob multa vere optima quæ in nostris Diœcesibus contemplanda occurrunt, magnopere sit Nobis gaudendum, quo tamen in dies multiplicentur fructus illi ac fiant pinguiores, præpositos hortamur instanter, ut maxima in deligendis magistris cautione utantur; nec admittatur ullus quem dotibus ad magisterium requisitis non omnino constet esse præditum, imo quem in suo munere non esse sat diu permansurum merito liceat suspicari.

3° Invigilent etiam ut una et eadem sit docendi ratio, tum in inferioribus, tum in superioribus classibus, ad quod melius et efficacius assequendum, constituatur Præfectus Studiorum, cui provincia demandabitur omnia curandi quæ ad Studia pertinent.

4° Inter ea autem quæ docenda veniunt, præcipua tribuatur cura Doctrinæ Christianæ circa quod noverint ii quorum res est duplex sibi officium incumbere: primum scilicet ut verba Catechismi memoriæ puerorum non tradant nuda, sed explicata plane et commentata; secundum ut instituatur pro superioribus classibus veluti cursus de religione, cujus ope ea omnia de fide et morum regulis addiscere possint quæ scire tenentur et sciunt ex vere Christianis eruditi.

5° Post Doctrinam Christianam primus in docendorum serie sit locus linguæ Gallicæ; quam proxime sequatur latina lingua, cujus quanta sit in disciplinis ecclesiasticis et utilitas et necessitas, in dubium vocari minime potest. Nec omittant studium linguæ græcæ, cujus utilitates, quamvis tantæ non sint ac linguæ latinæ, satis sunt tamen non ignaris manifestæ.

6° Meminerint eamdem non esse omnino sive Clericorum, sive Laicorum institutionem. Toti ergo non sint in explanandis et commentandis profanis scriptoribus; sed adeant quoque auctores ecclesiasticos, Augustinum videlicet, Hyeronimum, Lactantium ex Latinis, Chrysostomum, Basilium, Gregorium ex Græcis, et alios utriusque linguæ, juxta peritorum sententiam, quos pervolvant, ac summa cura interpretentur. Neque hoc ingratum et molestum reputent; esto enim præstent profani, styli granditate et magnificentia, elocutione et periodi numero, cæterisque id genus; at Ecclesiasticis quam cedant tum sententiarum gravitate et excellentia, ac morum regulis, tum sublimitate doctrinæ, certitudine et efficientia, nemo, nisi indoctus omnino, inficias ibit. Quapropter numquid non turpe admodum foret Ciceronem et Demosthenem esse Clericis postquam litterarum curriculum expleverint, familiariores, peregrinos autem Hyeronimum, Augustinum et Chrysostomum?

7° Cum et omnibus pateat, quantum hodiernis præcipue temporibus sit ex historiæ scientia commodi expectandum, volumus ut sedulam tradendis ejus lectionibus Professores operam navare non prætermittant.

Et quoniam, attentis rerum circumstantiis fieri nequit ut Mathesim ac scientias naturales aliquo modo non doceant, commendamus ut earum lectiones ita disponantur, quod nihil exhinc detrimenti capiat litterarum studium.

Omnes tandem monitos esse volumus, ut juxta quod jam ipse præscripserat Sanctus Carolus, non exiguam adhibeant curam et diligentiam ad corruptæ pronuntiationis consuetudines penitus tollendas.

8° At ex his quæ aliquid utilitatis afferre solent ad ingenium informandum, nihil certe præcipuum magis quam Philosophia, cum in ea docenda omnium humanarum basis cognitionem constituatur. Verum nec inutiles ad hoc esse naturales scientias ullus unquam dixit, qui in eis non fuit indoctus omnino.

Quam ob causam licet attento præsenti rerum statu nihil decernat Concilium, hoc tamen ejus in votis esset, quod Philosophiæ una cum Mathesi et Physica per biennium totum sic detur opera, ut major tribuatur temporis pars Philosophiæ.

Verum ea in docenda quam magna opus sit cautione vix utile est quod moneamus; siquidem nihil esse illa, si prave doceatur, periculosius, latere neminem potest.

Facultatem non adimimus ea pervolvendi opera, quæ de rebus Philosophicis, olim vel ætate nostra scripta fuere; at cum multa sint pravis referta sententiis, ac doctrinis peregrinis, hortamur ne ad eorum lectionem accedant unquam, nisi per orationem animam paraverint, ac consilium requisiverint a prudentibus.

9° In disquirendis variis quæ circumferuntur systematibus, inextinguibilem semper præ manibus teneant facem fidei, ne recti specie decepti, in errorem inducantur, et ad lumen, dum pervenire contendunt, in umbram mortis eos miserrime demergi accidat.

Caveant quoque ne zelo non secundum scientiam abrepti. in eorum veniant docendi methodum, qui, cum videant rationem in pluribus cœcutire, eam absque modo deprimunt, adeo ut penitus ipsam tollant, aut tollere videantur.

Sed et quam longissime ab eis recedant, non solum qui

ita rationem præstare autumant, ut in nullis revelationis subsidio indigeat, verum etiam ab his qui, licet speculative quod de utriusque vi et loco tenendum est, teneant, sic tamen se rationi committunt, ut omnia ipsa una duce scrutari ad fidem ipsam practice rationis examini quasi subjicere non vereantur, ad illud non attendentes terrificum Spiritus Sancti oraculum: *Scrutator majestatis opprimetur a gloria* (¹).

Quapropter mediam inter illa duo extrema viam tenentes, curabunt omnino, ut in mutuis et revelationis et rationis juribus exponendis ita recto tramite incedant, quod neque ad sinistram declinent, neque ad dexteram, adeo ut si rationis dominium defendatur, minime offendatur revelatio, ac si revelatio, ut decet, supra rationem extollatur, rationis in indaganda veritate vis non redigatur ad nihilum.

10° Philosophiæ autem postquam expleverint curriculum, volumus et sancimus, ut Clerici per quadriennium totum in Majori Seminario commorentur, in oratione et studio perseverantes.

Intra vero illud quadriennium Sacram Scripturam, theologiam dogmaticam et moralem, jus canonicum, historiam ecclesiasticam, rituum ac cæremoniarum scientiam, sacræ demum eloquentiæ præcepta ediscant.

11° Porro ea teneatur a Professoribus Sacrarum Scripturarum methodus, ut, litterali textus explanatione præmissa, inde, occasione sumpta, doceant adolescentes modum eam populo tradendi, ac illa ad concionandum utendi.

Theologiæ dogmaticæ lector, brevitatis causa, necnon majoris utilitatis, ea quæ obsoleta jam sunt et antiquata

(¹) Prov. 25. 27.

aut prætermittat omnino, aut leviter tantum attingat, ut possit in iis diligentius et copiosius tractandis ac discutiendis insistere, quæ multo sunt, præsertim pro tempore præsenti, gravioris momenti.

Lector vero Theologiæ moralis a laxioribus peræque recedat, ac rigidioribus sententiis, et in eam semper propendat sententiam, quam, ut dicit Bened. XIV, et suadet ratio et firmat auctoritas, atque noverit, quemadmodum laxitate mores corrumpuntur, ita eos nimia severitate pessumdari.

12° Quoniam Liturgia ad ipsum Dei cultum refertur, et ita cum rebus divinis implicita est et cohæret, ut ab iis sejungi non possit, cum etiam sit quasi Christianæ doctrinæ perenne monumentum, et veræ pietatis vim simul et suavitatem spirare videatur, in id totus incumbat Liturgiæ professor, ut alumnos quidquid ad illam attinet, et quanta cum reverentia sint observanda, illius regulæ et præscripta edoceat; hinc etiam occasionem arripiat demonstrandi quantæ sit utilitatis unam et eamdem vigere in Ecclesia catholica Liturgiam, quo magis ac magis adolescentes imbuti, in majorem veniant existimationem Liturgiæ catholicæ, eamque, ut revera est, tanquam multum valens unitatis vinculum habeant.

13° Antiquam latine loquendi, in docendo philosophiam, theologiam et jus canonicum, consuedinem volumus et præscribimus esse retinendam. Maxima enim pericula et damna Fidei catholicæ obveniant oportet, si ejus dogmata vernaculis linguis tractantur: quia cum ratos firmisque suos habeant dogmata conceptus, et aliunde vernaculæ linguæ variæ sint et mutabiles, ac eas quisque scriptor pro ingenio

suo inflectere possit, quis non videt quod inde in dogmata varietates et ambiguitates, ac etiam perversiones irrepere queant?

In iisdem etiam tractandis disciplinis, mandamus ut illa servetur methodus, quæ scholastica dicitur. Hæc enim est temporis parca, approbata ab Ecclesia, a pluribus meliorisque notæ theologis adhibita, et mirifice adolescentium intelligentiæ accommodata, quatenus omnia quæ de doctrina theologica latissime per Sacram Scripturam, SS. Patres, Concilia ac theologos sparsa sunt, sub oculis illorum collecta ponit, ac uno quasi intuitu spectanda exhibet.

14° Ad æmulationem excitandam et alendam habeantur, ut mos est, aut ubi non existunt, instituantur examina. Ex iis aliqua sint solemniora, quibus ipse Episcopus præerit.

Crebro etiam et accurate fiant disputationes et concertationes, ac aliæ exercitationes, sive scripto, sive viva voce, prout ab eo explicabitur, cui officium studia dirigendi demandatum fuerit. Denique habeantur conciones, quarum vitia, si quæ sunt, professor sacræ eloquentiæ accurate notabit, tum quoad doctrinam, tum quoad inveniendi, disponendi et pronuntiandi rationem.

CAPUT SECUNDUM.

De examine Presbyterorum recens ordinatorum et de collationibus ecclesiasticis.

1° At ne Sacerdotes, tractu temporis, postquam e Seminario discesserint, ea obliviscantur quæ didicerunt, statuimus, ut omnes, per sex annos, ex quo ad Presbyteratum promoti fuerint, quotannis, statutis diebus, in locum ab Episcopo assignatum veniant, ut de eis examinentur quæ descripta reperient, sive in ordine diœcesano, sive alibi. Et si quis sit cui examen illud non bene successerit, corrigatur ab Episcopo.

2° Sed decernimus etiam et sancimus, ut ubique in Provincia instituantur, si nondum institutæ sint, Collationes, quæ per certam anni partem, quolibet mense, solebant olim et etiam nunc in multis Diœcesibus haberi solent, de variis disciplinis ecclesiasticis, juxta modum et ordinem a singulis Episcopis in sua Diœcesi traditum.

CAPUT TERTIUM.

De Instituto pro altioris ordinis studiis et gradibus [1].

Quantumvis autem decreta hæc nostra ad majorem studiorum ecclesiasticorum perfectionem ac splendorem, Deo favente, profutura sint, longe tamen absunt ut nostris ea de re votis respondeant ac satisfaciant. Dum enim in illis condendis operam ponebamus, animo obversabatur nostro aliquid altius, quod ad majorem Cleri decorem, Ecclesiæ utilitatem Deique gloriam certe conferret, a nobis communi consensu in hac ipsa Provinciali Synodo, quantum sineret temporum facultatumque nostrarum ratio, instituendum. Etvero nihil jucundius et optatius cunctis hujusce Provinciæ Episcopis contingeret, quam si possent omnibus sacrarum disciplinarum alumnis ea suppeditare unde his liceret Doctrinæ Sanctæ arcana explorare, et altissima ingredi penetralia, venerandam Doctorum adire frequentiam, audire Patres illos, qui Ecclesiæ filios cœlestis pabulo sapientiæ nutriunt ac per agros patris-familias veritatis fluenta latissime diffundunt; germina demum scientiæ jam mentibus in Seminario credita, in dies ita evolvere ut in altas, fruc-

(1) Hoc Institutum fuit a S. Sede prorogatum ut constat ex Litteris Em. Cardinalis MAII ad Illust. et Reverend. Archiepiscopum Avenion. quæ sic habent : « (*Sua Sanc-* » *titas) tamen prorogandam censuit Academiæ et graduum conferendorum adproba-* » *tionem, prout aliis Provinciarum Archiepiscopis rescriptum fuit.* »

tuumque feracissimas crescerent arbores. Etenim non potest nos fugere in Seminario, qualescumque sint omnium tum discipulorum, tum magistrorum conatus, fundamenta tantum jacta esse ecclesiasticarum disciplinarum ædificii, et Clericos quasi ad templi scientiæ limina ductos fuisse, sed illis altioris subsidia Ordinis esse suppeditanda, si eos ad interiora velaminis incedere velimus.

At quominus id pro votis nostris exequeremur inopia vetuit. Utinam feliciora aliquando tempora adveniant!

Interea tamen omnis, in præsenti, fructus spem non abjecimus. Ac ut excogitatum a nobis bonum tantum excrescat, quantum per tempora licet, volumus et sancimus: ut ad complenda, prout fieri potest Seminarii studia, Institutum fundetur pro Studiis altioris Ordinis, quæ duobus annis absolventur, juxta ordinem et modum qui describetur in programmate postea componendo.

Ad Studiorum istorum cursum conficiendum, duo quotannis eligentur, ex singulis Diœcesibus, qui, cum se pietate, ingenii facilitate, ac progressu in studiis præstantiores probaverint, a suo mittentur Episcopo.

Aliis etiam, sive ex hac Provincia, sive ex aliis ad libitum et electionem Episcoporum patebit illius Instituti aditus, modo pensionem consuetam solvere velint.

In hoc Instituto conferentur gradus scholastici: Baccalaureatus scilicet, Licentia ac Doctoratus.

Ad Baccalaureatum promoveri poterunt Instituti alumni, elapso anno primo, anno vero secundo exeunte, ad tentamina admittentur pro Licentia.

Tentamina hæc quominus adeant omnes Provinciæ Presbyteri, nihil obstabit.

Attamen juniores Sacerdotes, qui prædicti Instituti studia non sectantur, Baccalaureatus gradum assequi non posse volumus, nisi tertio anno, postquam Seminarii Studia expleverint; Licentiam autem nisi tribus post annis, quam Baccalaureatum fuerint consecuti.

Ad Doctoratum tenebitur nemo, sed ad eum cuique post Licentiam, honoris causa ad libitum aspirare licebit.

Examinatores ac causarum judices erunt, quinque delegati, unus nempe ex singulis Diœcesibus, quem suus Episcopus elegerit.

Hi, statis temporibus, in civitatem Metropolitanam, ad candidatos examinandos convenient. In eorum consessu primas tenebit tanquam præses, vel Archiepiscopus, vel eo absente, unus ex Coepiscopis. Absentibus autem Episcopis omnibus, præerit ab Archiepiscopo delegatus, qui et ipse semper primas habebit in consessu privato examinatorum.

Constituetur insuper Notarius aut Grapharius.

Diplomata quæ nomine Metropolitani et Coepiscoporum Provinciæ tradentur sigillo Instituti signata, ac in actis primum examinatorum inscripta, postea, intra tres menses, in acta referentur Cancellariæ Diœcesis cujusque Laureati.

Jam vero ut sua tribuantur bene merentibus præmia ac æmulationis incitamenta multiplicentur, omnino decet; verum quoad reservationem quorumdam, pro graduatis, beneficiorum et officiorum, ad prudentiam ac sapientiam cujusque Episcopi omnia, in sua Diœcesi, determinare ac ordinare, prout ipsi videbitur, satius, pro præsenti tempore, duximus remittendum.

Præterea quicumque Sacerdotes annum trigesimum atti-

gerint, cum prædictum erit fundatum Institutum, Baccalaurei censebuntur. Qui vero ad annum trigesimum tertium pervenerint, eadem ipsis jura tribuentur quæ Licentiatis.

Demum cum his tentaminibus tantum doctrinæ argumentum præberi posse evidens sit, quantum illis quæ in facultatibus canonicis fieri solent, ad Sanctam Sedem recurrendum judicavimus, ac Summum Pontificem obsecrandum, ut, de speciali gratia, camdem dignetur Sua Sanctitas, huic nostræ pro tempore Institutioni, ad gradus quod attinet, facultatem concedere, qua gaudent catholicæ Universitates.

PRO AVENIONENSIS

CONCILII CORONIDE.

De Sacratissimo Corde Domini Nostri Jesu Christi.

Nullus potest esse Christo jucundior, Ecclesiæ utilior, gratiis et divitiis spiritualibus in homines diffundendis fæcundior cultus a pietate Christiana erga illum SS. Redemptorem et Salvatorem nostrum exercendus, quam qui Sanctissimo ejus Cordi exhibetur. Augustissimum enim illud Cor, pars Corporis a Verbo Divino assumpti, adeoque Christi, est vere, vi unionis et unitatis hypostaticæ, cor ipsius personæ Verbi Divini. Propterea, misericordiæ et charitatis infinitæ, quam Christus in nos exercuit ac demonstravit, et quæ impulit eum, ut Sanguinem funderet, mortemque pro salute nostra subiret, atque nobis corpus in cibum et sanguinem in potum, in Eucharistia relinqueret, est symbolum et organum. Ex Corde illo, lancea in Cruce perforato, nata est Ecclesia, profluxere Sacramenta, exivimus et nos omnes qui ex aqua et sanguine inde scaturientibus renati sumus per Baptismum, et facti

sumus de Carne et Corpore Christi. In hoc Corde jugis est thesaurus misericordiæ, fons perennis gratiæ et plenitudo bonorum omnium in nos effundendorum, luminis quo debemus illustrari, virium quibus possimus ad Deum et ad salutem progredi, hostes omnes vincere, pericula superare, mundum ac diabolum conculcare et omnibus impugnationibus superiores effici.

Hortamur ergo Parochos ut Fideles, quæ ad cultum hunc attinent, doceant et ad eum exercendum inducant, memoratis etiam beneficiis singularibus quæ tot in locis, speciatimque in hisce nostris regionibus tempore pestis Massiliensis, a Sacratissimo ac beneficentissimo Corde illo perceperunt homines et populi, qui pie ac sancte illud coluerunt et ad ipsum in calamitatibus privatis ac publicis confugerunt.

Patres autem hic congregati, finem imponentes Synodo, labores suos, monita et decreta Sacratissimo illi Cordi dedicant, ut fructum afferant plurimum et fructus maneat : seipsos etiam et Sacerdotes qui isti Synodo interfuerunt, et omnem Clerum, et Fideles cunctos Diœceseon suarum eidem Amantissimo Cordi devovent et consecrant et ejus tutelæ commendant et committunt, ut inhabitantes in adjutorio Altissimi, in protectione Dei Cœli contra omnia adversa et pericula securi commorentur.

Quæ Decreta unanimiter subscripserunt, uti videre est in exemplari Sanctissimo Patri PIO IX primitus transmisso.

† J. M. M. *Archiepiscopus Avenionensis.*

† CAROLUS THOMAS *Episcopus Monspeliensis.*

† JOANNES FRANCISCUS MARIA *Episcopus Nemausensis.*

† PETRUS *Episcopus Valentinensis.*

† JOSEPHUS HIPPOLYTUS *Episcopus Vivariensis.*

FINIS DECRETORUM CONCILII PROVINCIALIS AVENIONENSIS.

APPENDIX

AD CONCILIUM

PROVINCIALE

AVENIONENSE.

LITTERÆ Illustrissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi Avenionensis ad Sanctitatem Suam PIUM, Divina Providentia, Papam IX.

BEATISSIME PATER,

Quantopere fuerit semper Sanctitatis Vestræ in Sede Apostolica Decessoribus optatum, pro eorum vehementissimo fidei catholicæ sinceritatem, morumque ac disciplinæ sanctitudinem tuendi illæsamque servandi studio, ut in Gallia celebrari liceret Episcoporum Concilia, et quanto imprimis Sanctitas Vestra desiderio teneatur libertatis qua possent in Provinciis nostris haberi hujusmodi conventus, nemo nescit.

Nec minus illud ipsum Nobis, qui Galliæ Ecclesiis sumus Auctoritate Vestra præpositi, Ministeriumque Episcopale gerimus, in votis perpetuo fuit. At quam longe eramus ab omni illam nobis contra omne fas ereptam facultatem recuperandi spe et cogitatione! Quanto enim magis libertatem clamabant atque in suis quoque constitutionibus, ut dicunt, politicis venditabant, eo magis Ecclesiæ jura impetebant ejusque libertatem præfocare nitebantur.

Nec certe Nobis erat melius quid expectandum pro recenti rerum civilium conversione. Sed præter omnem spem facta est tunc mutatio dexteræ Excelsi, qua ducente, Nobis licuit in Concilia convenire.

Tantum nobis bonum tam ex improviso obveniens si neglexissemus, et facultate illa uti prætermisissemus, ingentis sane in Ecclesiam et in nostrum Pastorale Officium piaculi judicassemus Nos minime innoxios.

Quapropter animo proposuimus Concilium Provinciæ Nostræ Avenionensis quamprimum convocare et habere.

Dignatus est misericordiarum Pater hisce votis favere, Nobisque ut ea exequeremur concedere.

Episcopi Comprovinciales Nostri, nempe Monspessulensis, Nemausensis, Valentinensis, Vivariensis, alacres omnino promptique convocationi nostræ obsecuti sunt.

Cœpta est Synodus primumque conventum habuit die Conceptionis Beatæ et Immaculatæ Virginis Mariæ festo, et tribus sessionibus intra sexdecim dies celebratis conclusa fuit.

Deo certe gratias debemus maximas quod omnia digne omnino ac religiose toto illo tempore peracta sint, et non aliud quam illius honorem inquisierint ii omnes qui quocumque titulo ac modo partem in opere Concilii habuere.

Omnes ad unum Patres atque etiam omnes inferioris ordinis Sacerdotes Sanctæ Sedi Apostolicæ et Sanctitati Vestræ addictissimos sese probavere ac devotissimos. In illis omnibus emicuere rectæ fidei amor, maxima a profanis novitatibus aversio, zelus disciplinæ, animus vere sacerdotalis.

Jam vero prima nostri Concilii Decreta huc spectant, ut Fides Catholica et Romana illæsa et ab omni erroris periculo tuta servetur, utque etiam magis ac magis in mente et corde concreditorum Nobis populorum firmetur. Qua de causa errores multos speciatim signavimus, atque auctoritate synodali reprobavimus quos jam ex Throni Apostolici celsitudine summæque auctoritatis exercitio damnaverant ac notaverant SS. Pontifices, nempe Sanctitas Vestra litteris in Encyclicis, Gregorius XVI fel. mem. in litteris item Encyclicis et aliis atque Pius VI in Bulla: *Auctorem fidei*, quam integram, ut omnibus Sacerdotibus notissima fiat, typis mandari ac vulgari cum ipsis Concilii nostri Decretis jussimus.

Decreta subjunximus alia quibus arceantur Fideles a pravorum lectione librorum, et comparata in singulis Provinciæ Diœcesibus facultate inveniendi libros quos legant omni ex parte bonos et utiles, aut saltem innoxios, omni ope ad lectiones Catholicæ Fidei pietatique congruentes, incitentur. Multa item statuimus de cultu divino tuendo et in fidelibus firmando ac promovendo; de veneratione Sacris exhibenda; imprimisque speciale protulimus Decretum de Beata Virgine Dei Matre ut in suo Conceptu Immaculata pie colenda, et in quo enixe Sanctitatem Vestram rogamus ut eximium illud planeque singulare Virginis privilegium definire velit tanquam doctrinam Ecclesiæ et Dogma Catholicum.

Nonnulla etiam de jejunio et abstinentia a fidelibus servanda decrevimus. Inter quæ occurrit istud, quod speciali ratione Auctoritati Vestræ Apostolicæ subjicimus, nempe quod vigentem huc usque in quibusdam Diœceseon nostrarum partibus consuetudinem aut legem a carnibus triduo Rogationum absque

jejunio abstinendi, abrogandam duxerimus uniformitatis causa inducendæ, non modo tota in Provincia, sed quaque etiam Diœcesi.

Cum enim Diœceses nostræ singulæ ex pluribus constent antiquis Diœcesibus aut Diœceseon partibus, in quibus varii erant quoad illam abstinentiam usus, hinc istud incommodi ortum erat, quod in aliis cujusque Diœceseos locis aut Parochiis aliud servaretur, adeo ut certarum Parochiarum incolæ essent abstinendi lege obstricti, qua immunes erant incolæ Parochiarum confinium: ex quo non leve oriebatur frequenter violandæ legis periculum.

Si vero potestatis nostræ limites excesserimus, humillime Sanctitatem Vestram rogamus ut Auctoritate Sua Decretum illud nostrum firmare dignetur, eique vim addere quam postulare nobis videtur præsens rerum nostrarum Fideliumque Nobis subditorum status.

Post alia vero nonnulla tum de Sacramentis, tum de variis Cleri gradibus Decreta, duximus opportunum instituere primo aliquod charitatis erga proximum in Provinciæ nostræ Diœcesibus simili ratione exercendæ veluti instrumentum, pium sodalitium, cujus cura sit et officium ut, Episcopi voluntati ac ductui obsequens, necessitatibus egenorum eorumque speciatim operariorum quibus deest labor quo, artem suam exercentes victum sibi familiæque sufficientem comparent, provideat; et secundo aliquod studiorum ecclesiasticorum imprimisque theologicorum curriculum ad quod non minore quam duorum annorum tempore emetiendum, ii admittentur qui, quatuor jam annis theologiæ in Seminario studuerint, seseque pietate, ingenio atque sedula animi ad studia applicatione præstantiores exhibuerint.

In hac autem Academia theologica quam Nos, Archiepiscopus et quatuor hujus Provinciæ Episcopi sumptibus nostris instituimus pro viginti alumnis, item de nostro duos per annos sustentandis et pro aliis qui de suo victuri admittentur, promovebuntur ad gradus academicos, nempe ad Baccalaureatum, ad Licentiam et ad Doctoratum ii qui solemnibus examinibus probati fuerint.

Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ in Concilio Nostro ad majorem Dei gloriam, ad regnum Christi Salvatoris Nostri in fidelium cordibus firmandum et ad Ecclesiarum Nobis creditarum bonum statuimus.

Dignetur Deus Optimus huic qualicumque tenuitatis nostræ operi benedicere vimque ac fecunditatem conferre amplissimam.

In ultima nostra Sessione, Decreta illa omnia una ac greges nostros Nosque ipsos Pastores consecravimus Sacratissimo Cordi Jesu. Ex illo bonorum omnium fonte, per intercessionem Beatæ Virginis potentissimam fluant gratiæ quibus et Pastores sancte doceant atque regant, ac populi ipsos ad progrediendum in via Dei, audiant et sequantur.

Ut vero illa cœlestia dona in Nos populosque Nostros promanare mereamur, profitemur et hoc necessarium esse, nempe a Sanctitate Vestra probari confirmarique Concilii hujus nostri Decreta; hinc enim referent et assertam doctrinæ veritatem et manifestæ robur unitatis.

Itaque ad pedes Sanctitatis Vestræ humillime provoluti, obsecramus ipsam ut Decreta hæc Nostra benigne excipere, et iis quæ aliquam judicarentur emendationem postulare, emendatis; probare et confirmare velit, speciatimque ut Academiam quam instituimus theologicam approbare, et ei decus statumque Academiæ catholicæ conferre et gradibus academicis in ea emerendis canonicam dignitatem et vim, qua honorantur gradus in catholicis universitatibus collati, tribuere gratum habeat, atque super hæc Benedictionem Suam Apostolicam quam et nobis Archiepiscopo et quatuor Episcopis et omnibus Diœceseon nostrarum fidelibus instantissime imploramus, largiri dignetur.

Sanctitatis Vestræ
humillimus et obsequentissimus
servus et filius
✝ J. M. M. Archiepiscopus Avenionensis.

Avenione die 30 januarii 1850.

BREVE Pontificium PII, Divina Providentia, Papæ IX.

PIUS PP. IX,

Venerabilibus Fratribus JOANNI MARIÆ MATHLÆ Archiepiscopo Avenionensi et aliis Antistitibus illius Ecclesiasticæ Provinciæ.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Vehementer delectati sumus vestris obsequentissimis litteris quas die 30 proximi mensis januarii datas una cum actis provincialis Avenionensis Synodi a Vobis habitæ, ad Nos misistis. Ex ipsis enim litteris summa animi Nostri consolatione magis magisque cognovimus qua singulari erga Nos et Apostolicam Sedem fide, amore et observantia præstetis, et quo episcopali zelo animati sitis ad ea peragenda, quæ in hac præsertim tanta temporum iniquitate ad Ecclesiæ causam tuendam, ac animarum salutem procurandam conducere possint : Namque ubi primum potuistis, nulla interjecta mora juxta Nostra ac Vestra desideria ex Sacrorum Canonum norma Provincialem ipsam Synodum concelebrare properastis, ut in ejusmodi sacro conventu collatis inter vos consiliis et studiis ea statuere possetis, quibus in vestris Diœcesibus et Catholica fides integra atque inviolata servetur, ac solidius firmetur, ecclesiastica disciplina magis magisque foveatur, divini cultus majestas et splendor augeatur fideles Vobis commissi ac tot undique grassantibus erroribus pestiferisque libris amoveantur, ac sanæ doctrinæ pascuis enutriantur et ad morum honestatem, virtutem, religionem, pietatem excitentur et inflammentur. Ac perlibenter ex iisdem Vestris litteris novimus, quantopere Vobis inter alia cordi sit, Venerabiles Fratres, omni cura prospicere, ut Clerici, qui in Seminariis cum majore pietatis et ingenii laude studiorum curriculum exegerint, ampliorem sacrarum rerum, ac theologicæ potissimum scientiæ cognitionem penitus ac rite addiscere possint, utque in vestris Diœcesibus pium aliquod sodalitium sub vestro regimine et ductu existat in illorum præcipue pau-

perum subsidium, quibus deest opus quo propriam exercentes artem, sibi suæque familiæ consulere queant. Jucundissimum autem Nobis accidit perspicere quanta veneratione Sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam prosequi gloriamini, et quam vehementer optetis, ut erga Immaculatam ejusdem Beatissimæ Virginis Conceptionem cultus in omnium fidelium animis magis in dies augeatur et confirmetur. Quamobrem de his rebus omnibus Vobis vel maxime gratulamur, Venerabiles Fratres, Vobisque addimus animos, ut in hac tam tristi rerum ac temporum perturbatione pergatis majore atque alacritate ministerium vestrum implere, ac bonum certamen certare, nihilque unquam intentatum relinquere, quo Dei, ejusque sanctæ Ecclesiæ causam, jura, libertatem impavide propugnare, et fideles vobis commissos ab inimicorum hominum insidiis et fraudibus defendere, atque ad salutis semitam deducere valeatis. Pro certo vero habeatis velimus, Vos congruum de Provincialis Vestri Concili Actis, quæ Nostro, et Apostolicæ Sedis judicio subjicere festinastis, responsum statim esse accepturos, ubi primum Acta ipsa a Nostra Concilii Congregatione ex more fuerint perpensa et recognita, atque interim a clementissimo misericordiarum Patre humiliter, enixeque exposcere haud omittimus, ut uberrima suæ bonitatis dona super Vos, Venerabiles Fratres, propitius semper effundat, quæ in omnes quoque Fideles Vobis concreditos copiose descendant, quo ipsi magis in dies crescant in scientia Dei, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, cujus superni præsidii auspicem et studiosissimæ Nostræ in Vos voluntatis testem Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque vestrarum Diœcesium Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Neapoli, in Suburbano Portici, die 20 martii, anno 1850, Pontificatus nostri anno quarto.

PIUS P. P. IX.

LITTERÆ Eminentissimi S. R. E. Cardinalis MAII Congregationis Sacri Concilii Tridentini Interpret. Præfecti.

Perillustris ac Rme Dne uti Fr Grata admodum fuerunt Sacr. Concilii Tridentini juris Interpreti ac Vindici, quæ sibi de more a SSmo Dno tradita Acta Synodi Avenionensis a Te Amplissime Præsul, et a Comprovincialibus Episcopis mense Decembri superioris anni celebratæ libentissime expendenda, ac recognoscenda suscepit. Novit enim tum ex litteris Amplit. Tuæ, tum ex Synodi capitibus veræ reverentiæ et obedientiæ sensus erga Apostolicam hanc Sedem, et Sacram Ipsam Christi Vicarii personam : studium cultum Divinum firmandi ac promovendi, nec non Romanam Liturgiam introducendi in ea quoque Provinciæ loca in quibus nondum viget, ut ex concordi illo Sacrorum Rituum exercitio unitatis vinculum in fidelium mentibus augeatur.

Perpexit etiam Sacra Congregatio summo cum gaudio Synodi Patres suas armasse dexteras tristissimis hisce temporibus contra monstruosa opinionum commenta, ac grassantes errores cum maximo animarum, et civilis quoque societatis damno ac improvidæ juventutis et imperitorum perversione.

Lætati sunt Emi Patres de mediis quæ proposuistis, sive ut perditos homines ad viam salutis revocaretis, sive ut bonorum pietatem foveretis, tum de sollicitudine avertendi fideles a pravorum librorum lectione, tum bonorum librorum effusione. Nec minori animi voluptate perlegerunt, quæ saluberrime constituta sunt, ut in Clero doctrina augeatur, utque Parochi, Sacerdotes, Regulares, Moniales, et piæ Mulierum societates, seipsos præbeant exemplum bonorum operum pietatis et misericordiæ.

Non dubitant proinde Patres Emi quin ex tam salutaribus legibus uberrimi fructus Provinciæ toti sint redituri, sperantque Clementissimum Deum totius consolationis in abundantia divinæ suæ gratiæ Tibi, Rme Dne, et præclaris Tuis Suffraganeis propitium adfuturum, et tam sedulis pastoralibus curis benedicturum.

Cæterum si quid minus accurate expressum vel aliquantisper emendandum censuit Sacra Congregatio, id etiam SSmo Dno Nostro subjecit, prout perspiciet Amplit. Tua in folio signato *Littª A*. Quæ in Synodo super jejunio Triduo Rogationum statuta fuerunt de voto Sacræ Congregationis benigne confirmavit Sanctitas Sua, ut ex folio *Littª* B, quæ tamen prorogandam censuit Academiæ,

2*

et graduum conferendorum adprobationem, prout aliis Provinciarum Archiepiscopis rescriptum fuit. Tandem sub folio *Litt*[a] C reperiet Amplit. Tua nonnullos Sacræ Scripturæ ac SS. Patrum textus suæ fidei restitutos utpote in capitibus Synodi non bene excriptos ab Amanuensi quorum correctionem curabis, antequam typis Synodus ipsa mandetur.

De me vero ita sentias velim, ut ad quæcumque in tui commodum commissique gregis utilitatem paratissimum habeas, et interim ex animo fausta omnia tibi precor a Domino.

Amplitudinis Tuæ.

Romæ 12 Augusti 1850.

Uti Fr. Stud.

A. Card. MAIUS Præf.

A. TOMASSETTI Secret.

AVENIONEN. ARCHIEPISCOPO.

Rescriptum Apostolicum.

BEATISSIME PATER,

Archiepiscopus Avenionensis una cum Suffraganeis humiliter exponit in Synodo Provinciali mense decembri superioris anni 1849 celebrata nonnulla quoad jejunium servanda jussisse. Etenim post declaratam obligationem unicæ comestionis, cui addi poterit cænula; post sibi reservatam facultatem, collatis interim consiliis, dispensationes concedendi, vel si opus sit ab Apostolica Sede obtinendi, communem usum quoad dies Rogationum statuere censuerunt. Cum enim Provincia ex pluribus antiquis Diœcesibus coalescat, fit, ut in una ex duabus finitimis paræciis cujusque Diœcesis diebus Rogationum abstinentiæ lex vigeat, non vero in altera: hinc in præsentibus præsertim rerum ac temporum circumstantiis frequentium violationum non leve oriebatur periculum. Ad hoc vitandum malum, omnes Provinciæ fideles a Lege jejunii exonerarunt Episcopi. Si vero in hoc Synodus facultatis suæ limites excessit, humiliter rogat Archiepiscopus Orator cum suis Comprovincialibus Episcopis Sanctitatem Vestram ut decretum illud suprema sua auctoritate confirmare dignetur pro bono animarum ejusdem Provinciæ. Quod etc.

Die 12 *Augusti* 1850, *SSmus. Dominus Noster, audita relatione infrascripti sub-secretarii Sacræ Congnis. Concilii, decretum enunciatum in Provinciali Concilio editum super jejunio Triduo Rogationum non amplius servando suprema sua auctoritate benigne approbavit, et confirmavit.*

A. Card. MAIUS Præf.

A. TOMASSETTI Sub-Secret.

SS. D. N. PII, divina Providentia, Papæ VI Damnatio quamplurium Propositionum excerptarum ex Libro italico idiomate impresso sub titulo : Atti, e Decreti del Concilio Diocesano di Pistoja dell' anno M.DCC.LXXXVI. — In Pistoja, per Atto Bracali, Stampatore Vescovile. Con approvazione. *Cum prohibitione ejusdem Libri, et aliorum quorumcunque in ejus defensionem tam forsan editorum, quam in posterum edendorum.*

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI;

Universis Christifidelibus, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Auctorem fidei, et consummatorem JESUM aspicientes nos jubet Apostolus [1] sedulo recogitare, qualem quantamque ille sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus et periculis defatigati, deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos ac relici tum maxime necessum est, cum adversus Corpus ipsummet Christi, *quod est Ecclesia* [2], diræ istius, nec unquam desituræ conjurationis æstus aerius exardescit : ut a Domino confortati, et in potentia virtutis ejus, scuto fidei protecti, resistere possimus in die malo, et omnia tela iniquissimi ignea extinguere. [3] In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cujusque generis Christiani nominis hostes colluctatio subeunda : Gravior Nobis, quibus pro credita pastorali nostræ sollicitudini Gregis totius cura et moderatione, *major cunctis*, *Christianæ*

(1) Ad Hebr. 12.
(2) Ad Coloss. 1.
(3) Ad Ephes. 6.

Religionis zelus incumbit. (1) Verum in hac ipsa oneris gravitate, quæ humeris nostris imposita est, *portandi onera omnium qui gravantur*, quo magis conscii Nobis sumus infirmitatis nostræ, eo firmiorem in spem erigit Nos, et sublevat Apostolici hujusce muneris in persona B. Petri divinitus instituta ratio, ut qui semel tradita sibi a Christo Ecclesiæ gubernacula numquam derelicturus erat, ipse Apostolicæ gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetuâ successione, ac tuendos hæredes dedisset.

Et in hisce quidem ærumnis quæ undique circumstant, ad cæterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut unde oportuerat Nos gaudere, majorem inde tristitiam hauriremus. *Quippe cùm aliquis Sacrosanctæ Ecclesiæ Dei præpositus sub Sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in præceps deviæ persuasionis avertit, et hoc in amplissima Urbe, tum plane est geminanda lamentatio, et major sollicitudo adhibenda* (2)

Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiæ, sub oculis Urbis, et prope Apostolorum limina: fuit Episcopus duplicis Sedis honore insignis, (Scipio de Ricciis antea Episcopus Pistoriensis et Pratensis) quem ad Nos pro pastorali munere suscipiendo accedentem paterna charitate complexi sumus: qui vicissim Nobis, atque huic Apostolicæ Sedi in ipso sacræ suæ Ordinationis ritu debitam fidem, et obedientiam solemnis jurisjurandi religione obstrinxit.

Atque is ipse non longo intervallo posteaquam a complexu nostro, cum osculo pacis dimissus, ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversæ sapientiæ Magistrorum fraudibus circumventus, eo cœpit intendere, ut quam superiores Antistites ex ecclesiastica regula laudabilem et pacatam Christianæ institutionis formam jam pridem invexerant, ac pene defixerant, non ille pro eo ac debebat, tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictæ reformationis, importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

Quin etiam cum et hortatu nostro ad Synodum Diœcesanam animum adjunxisset, præfracta ejus in suo sensu pertinacia effectum est, ut unde

(1) S. Siricius ad Himerium Tarrac. *Epist.* 1. *ap Const.*
(2) S. Cælest. l. *Ep.* 12. *apud Const.*

remedium aliquod vulnerum petendum erat, inde gravior pernicies enasceretur. Sane postquam Synodus hæc Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquandiu abdita delituit, nemo fuit de summa religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit hoc fuisse Auctorum consilium, ut quæ antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, Apostolicis, quibus proscripti sunt, Decretis fidem auctoritatemque derogarent.

Quæ cum cerneremus, quo graviora sunt per sese, tanto impensius Pastoralis nostræ sollicitudinis opem efflagitare, mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia, quæ surgenti malo vel sanando, vel comprimendo accommodatiora viderentur.

Atque in primis sapientis moniti memores Prædecessoris nostri B. Zosimi (1) *ea quæ magna sunt magnum pondus examinis desiderare*, Synodum ab Episcopo editam, primum quatuor Episcopis, aliisque adjunctis e Clero sæculari Theologis examinandam commisimus: tum et plurium S. R. E. Cardinalium, aliorumque Episcoporum Congregationem deputavimus, qui totam Actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram Nobis voce et scripto edita excepimus: qui et Synodum universe reprobandam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per sese, alias attenta sententiarum connexione, plus minusve acribus censuris pertringenda censuerunt. Quorum auditis perpensisque animadversionibus, illud quoque Nobis curæ fuit, ut selecta ex tota Synodo præcipua quædam pravarum doctrinarum capita, ad quæ potissimum fusæ per Synodum reprobandæ sententiæ directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subjiceretur.

Ne vero ex hac ipsa, tametsi accuratissime peracta, sive locorum collatione, sive sententiarum disquisitione, pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent, ut huic forte jam paratæ calumniæ obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus hujusmodi periculosis, noxiisve novitatibus reprimendis, plures nostri sanctissimi Prædecessores,

(1) S. Zosimus *Ep. 2. ap. Const.*

tum et gravissimi Antistites, ac generales etiam Synodi, rite cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum commendatumque reliquissent.

Norant illi versutam Novatorum fallendi artem, qui Catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persæpe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum [1] latens error lenius influat in animos, fiatque ut corrupta per brevissimam adjectionem aut commutationem veritate sententiæ, Confessio quæ salutem operabatur subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque hæc quidem involuta, fallax disserendi ratio, cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in Synodo minime ferenda, cujus est hæc laus præcipua, eam in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quæ nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quæ afferri solet, subdola excusatione defendi, quod quæ alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata, aut etiam correcta reperiantur; quasi procax isthæc affirmandi et negandi, ac secum pro libito pugnandi licentia, quæ fraudulenta semper fuit Novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum, quam ad excusandum errorem valeret: aut quasi rudibus præsertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem Synodi vulgari lingua omnibus expositæ, præsto semper essent alia, quæ inspicienda forent, dispersa loca, aut his etiam inspectis, satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per sese componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopoli Antistitis Nestorii litteris jam olim sapienter detectum, gravissima reprehensione Prædecessor noster Cælestinus [2] coarguit: quibus nempe in litteris vestigatus Veterator ille, deprensus et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus utraque confundens, vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias nimium sæpe omni ætate renovatas, non alia potior via inita est, quam ut iis exponendis sententiis, quæ sub latibulo ambiguitatis periculosam suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error, quem catholica sententia reprobaret.

(1) S. Leo M. *Ep.* 129, *Edit. Baller.*
(2) S. Cælest. *Ep.* 13. n. 2 *ap. Const.*

Quam et Nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos, et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos, (quod favente Deo, in pluribus gaudemus jam feliciter evenisse) magno fore adjumento prospeximus, providere primum, ne pertinacibus, si qui supererunt, quod Deus avertat, Synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas, justæ suæ damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere Scholas Catholicas, quas invictas plane ac repugnantes, per detortam quamdam affinium vocabulorum similitudinem in expressa, quam illæ testantur sententiarum dissimilitudine, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc præconcepta mitior opinio de Synodo, his etiam omnis conquerendi locus præcludatur, qui, si recte sapiunt, ut videri volunt, ægre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quæ errores præ se ferant, à quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

Necdum tamen satis ex animo lenitati nostræ factum putavimus, seu verius charitati, quæ urget Nos erga Fratrem nostrum, *cui omni ope volumus, si adhuc possumus subvenire* (1) Charitas nempe illa urget Nos, qua inductus Prædecessor noster Cælestinus (2) etiam contra fas, seu majori quam fas esse videretur, patientia Sacerdotes corrigendos exspectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino Milevitanisque Patribus volumus, et optamus homines prava docentes *pastorali cura in Ecclesia sanari quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat* (3).

Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum Fratrem prætermissum videretur, præfatum Episcopum, antequam ad ulteriora progrederemur amantissimis litteris ad eum jussu nostro datis ad Nos acciendum duximus, polliciti fore, ut benevolo animo a Nobis exciperetur, nec vetaretur, quin, quæ in rem suam facere sibi viderentur, libere aperteque expromeret. Nec vero spes Nos omnis deseruerat fieri posse, ut siquidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in Episcopo maxime Augustinus (4) requirebat, cum simpliciter et candide, omni remota concertatione

(1) S. Cælest. *Ep.* 14. *ad Populum C. P. n.* 8. *ap. Const*
(2) *Ep.* 13, *ad Nestor. n.* 9.
(3) *Epist.* 176, *num.* 4; 178, *num.* 2. *Edit. Maur.*
(4) *L. IV de Bapt. cont. Donat. c.* 5. *et l. V. c.* 26

et acerbitate, recognoscenda ei proponerentur præcipua doctrinarum capita, quæ visa essent majori animadversione digna, tum facile sese ipse colligens non dubitaret, quæ ambigue posita essent, in saniorem sensum exponere, quæve manifestam pravitatem præ se ferrent, aperte repudiare: atque ita magna cum sui nominis existimatione, tum lætissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima qua fieri posset ratione, orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur. [1]

Nunc vero cum ille oblato beneficio, incommodæ valetudinis nomine, minus utendum sibi esse censuerit, differre jam non possumus, quin Apostolico nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo, alteriusve Diœcesis periculum agitur: *Universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur.* [2] Undique jam pridem non exspectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitatur supremæ Apostolicæ Sedis judicium. Absit, ut vox Petri in illa unquam Sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac præsidens, præstat quærentibus fidei veritatem. [3] Tuta non est in talibus longior conniventia, quia tantumdem pene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa prædicare. [4] Abscidendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum læditur, sed totum corpus Ecclesiæ sauciatur. [5] Atque divina opitulante pietate providendum, ut amputatis dissensionibus, fides catholica inviolata servetur, et his, qui prava defendunt, ab errore revocatis, nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur. [6]

Implorato itaque cum assiduis nostris, tum et piorum Christifidelium privatis publicisque precibus, Spiritus sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex Actis et Decretis memoratæ Synodi Propositiones, Doctrinas, Sententias sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas, suis, ut præfatum est cuique appositis notis et censuris damnandas et reprobandas censuimus, prout hac nostra perpetuo valitura Constitutione, damnamus et reprobamus:

Sunt autem quæ sequuntur.

(1) S. Cælest. *Ep.* 16. *n.* 2. *ap. Const.*
(2) S. Cælest. *Ep.* 21. *ad Episcopos Galliarum*
(3) Chrysol. *Ep. ad Eutychem*
(4) S. Cælest. *Ep.* 12. *n.* 2.
(5) *Idem Ep.* 11 *Cyrillo*, *n* 3.
(6) S. Leo M. *Ep.* 23, *Flaviano C. P. n.* 2.

De obscuratione veritatum in Ecclesia.

Ex Decr. de Grat. §. 1.

I. Propositio, quæ asserit *postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad Religionem, et quæ sunt basis fidei et moralis doctrinæ Jesu Christi,*

Hæretica.

De potestate Communitati Ecclesiæ attributa, ut per hanc Pastoribus communicetur.

Epist. Convoc.

II. Propositio, quæ statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus Ministri pro salute animarum,*

Sic intellecta, ut a Communitate Fidelium, in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas,

Hæretica.

De Capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa.

Decr. de Fide, §. 8.

III. Insuper quæ statuit *Romanum Pontificem esse Caput ministeriale;*

Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo, in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiæ Caput pollet in universa Ecclesia,

Hæretica.

De potestate Ecclesiæ quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam.

Decr. de Fide, §§. 13, 14.

IV. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde*, tum etiam, multo

minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis Decretis,

Quatenus indeterminatis illis verbis : *extendendo ad res exteriores*, notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda,

Hæretica.

V. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis Decretis exigendæ, aliter quam per media quæ pendent à persuasione ;

Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio, ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi*.

Ex Bened. XIV. in Brevi *Ad assiduas*, anni 1755, Primati, Archiepiscopis et Episcopis Regni Polon.

Inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.

Jura Episcopis præter fas attributa.

Decr. de Ord. §. 25.

VI. Doctrina Synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ Diœcesis* ;

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque Diœcesis, necessariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia,

Schismatica, ad minus erronea.

VII. Item in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem*, idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes quæ adversantur bono ordini Diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi Fidelium ;*

Per id quod supponit Episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu, statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque Provincia locum

habent, sine venia et interventu superioris hierarchicæ potestatis, a qua inductæ sunt, aut probatæ, et vim legis obtinent,

Inducens in schisma, et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

VIII. Item quod et sibi persuasum esse ait, *Jura Episcopi a J. C. accepta pro gubernanda Ecclesia, nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum, ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suæ Ecclesiæ;*

In eo quod innuit jurium Episcopalium exercitium nulla superiori potestate præpediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ,

Inducens in schisma, et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

Jus perperam tributum inferioris Ordinis Sacerdotibus, in decretis fidei et disciplinæ.

Epist. Convoc.

IX. Doctrina, quæ statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam, in Synodis Diœcesanis, ab Episcopo et Parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere; ac sine libertate decisionis, indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum*,

Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Aerianæ a Calvino innovatæ.

Ex Ep. Convoc. Ex Ep. ad Vic. For. Ex Or. ad Synod. §. 8. *Ex Sess.* 3.

X. Item doctrina, qua Parochi, aliive Sacerdotes in Synodo congregati, pronuntiantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei, ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,

Falsa, temeraria, Ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.

Orat. Synod. §. 8.

XI. Sententia enuntians veteri majorum instituto ab apostolicis usque tem-

poribus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse *ut decreta, aut definitiones, aut sententiæ etiam majorum Sedium, non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent, et approbatæ a Synodo Diœcesana*,

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ Constitutionibus Apostolicis, tum et Sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et hæresim.

Calumniæ adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot sæculis emanatas.

De Fide, §. 12.

XII. Assertiones Synodi complexive acceptæ circa Decisiones in materia fidei ab aliquot sæculis emanatas, quas perhibet velut Decreta ab una particulari Ecclesia, vel paucis Pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendæ puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia,

Falsæ, captiosæ, temerariæ, scandalosæ, in Romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosæ, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogantes; schismaticæ, perniciosæ, ad minus erroneæ.

De Pace dicta Clementis IX.

Or Synod. §. 2. *in nota.*

XIII. Propositio relata inter acta Synodi, quæ innuit Clementem IX pacem Ecclesiæ reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti, in subscriptione Formularii ab Alexandro VII præscripti,

Falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa.

XIV. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando,

Temeraria, perniciosa, Summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens, et hæresim.

De coagmentatione corporis Ecclesiæ.

Append. n. 28.

XV. Doctrina, quæ proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus*

mysticum coagmentatum ex Christo Capite et Fidelibus, *qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem*, *qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus Sacerdos*, *una sola Victima*, *unus solus Adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate ;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi Fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate, Hæretica.

De statu innocentiæ.

De Grat. §§. 4, 7 *De Sacr. gen.* §. 1. *De Pœnit.* §. 4.

XVI. Doctrina Synodi de statu felicis innocentiæ, qualem eum repræsentant in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem, cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam ;

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium,

Falsa, alias damnata in Bajo et Quesnellio, erronea, favens hæresi Pelagianæ.

De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.

De Bapt. §. 2.

XVII. Propositio his verbis enuntiata : *Edocti ab Apostolo*, *spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis*, *sed revera ut justam pœnam culpæ originalis ;*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato, insinuat mortem, quæ in præsenti statu inflicta est velut justa pœna peccati, per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio,

Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.

De conditione hominis in statu naturæ.

De Grat. §. 10.

XVIII. Doctrina Synodi enuntians *post lapsum Adami*, *Deum annuntiasse promissionem futuri Liberatoris*, *et voluisse consolari genus humanum per spem salutis*, *quam J. C. allaturus erat;* tamen *Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status*, *antequam veniret plenitudo temporum*, ac primum ut in statu naturæ *homo relictus*, *propriis luminibus disceret de sua cæca ratione diffidere*, *et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis;*

Doctrina, ut jacet, captiosa; atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere,

Suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.

De conditione hominis sub lege.

Ibid.

XIX. Item quæ subjungit, hominem sub lege *cum esset impotens ad eam observandam*, *prævaricatorem evasisse*, *non quidem culpa legis*, *quæ sanctissima erat*, *sed culpa hominis*, *qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasit*, superadditque, *legem*, *si non sanavit cor hominis*, *effecisse*, *ut sua mala cognosceret*, *et de sua infirmate convictus desideraret gratiam Mediatoris*,

Qua parte generaliter innuit hominem prævaricatorem evasisse per inobedientiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est*, *aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare*, *qui pius est;*

Ex S. Cæsario, Serm. 73, in append. S. Aug. Serm. 273, Edit Maur.

Ex S. Aug. de Nat et Gr. c. 43.—De Grat. et lib. arb. c. 16.—Enar. in Psalm. 56, n. 1.

Falsa, scandalosa, impia, in Bajo damnata.

XX. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse con-

cipere desiderium gratiæ Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis.*

Ex Concil. Araus. II. Can. 3.

Propositio, ut jacet, captiosa, suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.

De Gratia illuminante, et excitante.

De Grat. § 11.

XXI. Propositio quæ asserit, *lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali · Gratiam in tali casu producere eumdem effectum, quem lex producebat: ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti : hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam J. C., inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei;*

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creet in corde sanctum amorem, et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus sancti (Trid. sess. 6, cap. 5.), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur,

Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum, eumque renovans.

De Fide velut prima gratia.

De Fide, § I

XXII. Propositio, quæ innuit, Fidem, *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem Fidei, qua homines fideles nominantur, et sunt;

Perinde ac prior non esset gratia illa, quæ *ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem*,

Ex S. Aug. de Dono persev. c. 16, n. 41.

Suspecta de hæresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.

De duplici amore.

De Grat. § 8.

XXIII. Doctrina Synodi de duplici amore dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati: ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere;

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati, et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati,

Falsa, perniciosa; inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum; iterum in Bajo damnatum art. 40

§ 12.

XXIV. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem, et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiæ imaginis Dei,*

Ex S. Aug. de Spir. et Litt. c. 28

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quæ nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quæ damnatur*, non daretur *dilectio humana licita, quæ non reprehenditur,*

Ex S. Aug. Serm. 349, de Charit. Edit. Maur.

Falsa, alias damnata.

De Timore servili.

De Pœnit. § 3.

XXV. Doctrina, quæ timorem pœnarum generatim perhibet *duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;*

Quasi timor ipse gehennæ, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus, et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ,

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ, *opus esse* juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam, *ut intret timor primo per quem veniat charitas : timor medicamentum, charitas sanitas.*

Ex S. Aug. in Epist. Joh. c. 4; Tract. 9, n. 4, 5. — In Joh. Evang. Tract. 41, n. 10. — Enarratione in Psal. 127, n. 7. — Sermone 157, de Verbis Apostoli, c. 13. — Sermone 161, de Verbis Apostoli, n. 8. — Sermone 349, de Charitate, n. 7.

De pœna decedentium cum solo Originali.

De Bapt. § 3.

XXVI. Doctrina, quæ velut fabulam Pelagianam explodi locum illum inferorum, (quem Limbi puerorum nomine Fideles passim designant) in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod qui pœnam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpæ, et pœnæ inter regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur Pelagiani;

Falsa, temeraria, in scholas Catholicas injuriosa.

De Sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adjuncta conditione.

De Bapt. §. 12.

XXVII. Deliberatio Synodi, qua prætextu adhæsionis ad antiquos Canones in casu dubii Baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione.

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.

De participatione Victimæ in Sacrificio Missæ.

De Euch. §. 6.

XXVIII. Propositio Synodi, qua postquam statuit *Victimæ participationem esse partem Sacrificio essentialem*, subjungit, *non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo;*

Quatenus insinuat ad Sacrificii essentiam deesse aliquid in eo Sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritaliter de Victima participant : et quasi damnandæ essent ut illicitæ Missæ illæ, in quibus solo Sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritaliter communicet,

Falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.

De ritus Consecrationis efficacia.

De Euch. § 2.

XXIX. Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu Consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, quibus Parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis : 1. Christum post Consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. Tunc omnem Panis et Vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus; prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiæ Panis in corpus et totius substantiæ Vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quæ in solemni Fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica,

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa Dogma transubstantiationis, favens hæreticis.

De applicatione fructus Sacrificii.

De Euch. § 2.

XXX. Doctrina Synodi, qua dum profitetur *credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in Liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis;* dein continuo subjicit : *Non tamen quod credamus in arbitrio esse Sacerdotis applicare fructus Sacrificii cui vult; imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quæ ipsi placet :* Unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant Sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant;*

Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit a Sacerdote, non magis prosit, cæteris paribus, illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a Pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum,

Sess. 23, c. 1. de Reform.

Bened. XIV, Const. *Cum semper oblatas,* § 2.

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa; inducens in errorem alias damnatum in Wiclefo.

De convenienti ordine in cultu servando.

De Euch. § 5.

XXXI. Propositio Synodi enuntians conveniens esse pro divinorum Officiorum ordine, et antiqua consuetudine, ut in unoquoque Templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere,

Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc sæculis in Ecclesia præsertim Latina vigenti, et probato mori injuriosa.

Ibid.

XXXII. Item præscriptio vetans, ne super Altaria sacrarum Reliquiarum thecæ, floresve apponantur,

Temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.

Ibid. § 6.

XXXIII. Propositio Synodi qua cupere se ostendit ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad Liturgiæ ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo Liturgiæ ab Ecclesia reprobatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet,

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

De ordine Pœnitentiæ.

De Pœnit. § 7.

XXXIV. Declaratio Synodi, qua postquam præmisit ordinem pœnitentiæ canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt;*

Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicæ pœnitentiæ cursu hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta,

Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis Sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.

De Pœnit. § 10, *n.* 4.

XXXV. Propositio his verbis concepta : *Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis, oportet ut Sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati ; redigere hos actus ad*

paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic Sacramento nudum nomen pœnitentiæ, quam medium illuminatum, et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet præcedere absolutionem: longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis;

Quatenus innuit pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales, et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi ut vera ratio Sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem,

Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.

De prævia necessaria dispositione pro admittendis pœnitentibus ad reconciliationem.

De Grat. § 15.

XXXVI. Doctrina Synodi, qua postquam præmisit: *Quando habebuntur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum, qui admittatur ad participationem Sanguinis Jesu Christi, quæ fit in Sacramentis;* subdit, *supposititias conversiones, quæ fiunt per attritionem nec efficaces esse solere, nec durabiles*: consequenter, *Pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos pœnitentes ad Sacramenta*, quæ signa, ut tradit deinde §. 17, *Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis;* quem insuper *fervorem charitatis* perhibet (*de pœnit.* § 10.) velut dispositionem, quæ *debet præcedere absolutionem;*

Sic intellecta, ut non solum Contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo Contritio chari-

tate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur,

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa.

De auctoritate absolvendi.

De Pœnit. § 10, *n.* 6.

XXXVII. Doctrina Synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, *post institutionem Diœcesium et Parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas, sive ratione territorii, sive jure quodam personali*, propterea quod *aliter confusio induceretur, et perturbatio;*

Quatenus post institutas Diœceses et Parochias enuntiat tantummodo, *conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a Sacerdote prolatam,

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa; erronea.

Ibid. § 11.

XXXVIII. Item Doctrina, qua postquam Synodus professa est *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ*, ut ait, *ad pœnitentiam non ita facile, et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum, et primam reconciliationem relapsus esset in culpam*, subjungit, *per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis magnum frenum illis injectum iri qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent.*

Contraria Can. 13 Concilii Nicæni I, Decretali Innocenti I ad Exuperium Tolos., tum et Decretali Cœlestini I ad Episcopos Viennen. et Narbon. Provinciæ; redolens pravitatem, quam in ea Decretali sanctus Pontifex exhorret.

De peccatorum venialium confessione.

De Pœnit. § 12.

XXXIX. Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones;

Temeraria, perniciosa, Sanctorum ac piorum praxi a S. Conc. Trid. probatæ contraria.

De Indulgentiis.

De Pœnit. § 16.

XL. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per Canones statuta erat peccanti;*

Quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam,

Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in Art. 19 Lutheri damnata.

Ibid.

XLI. Item in eo quod subditur, *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica, substituisse confusam et falsam applicationem meritorum;*

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias non sint merita Christi et Sanctorum,

Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in Art. 17 Lutheri damnata.

Ibid.

XLII. Item in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimerica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos,*

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa; inducens in

errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum; iterum damnatum in Art. 22 Lutheri.

Ibid.

XLIII. In eo demum quod impudentissime invehitur in Tabellas indulgentiarum, Altaria privilegiata, etc.

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices, atque in praxim tota in Ecclesia frequentatam contumeliosa.

De reservatione Casuum.

De Pœnit. § 19.

XLIV. Propositio Synodi asserens, *reservationem casuum, nunc temporis, aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem*,

Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.

Ibid.

XLV. Item de spe quam ostendit fore, *ut reformato Rituali et ordine Pœnitentiæ nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes;*

Prout attenta generalitate verborum innuit per reformationem Ritualis et ordinis pœnitentiæ factam ab Episcopo, vel Synodo, aboleri posse Casus quos Tridentina Synodus (Sess. 14, c. 7.) declarat Pontifices Maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare,

Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.

De Censuris.

De Pœnit. §§ 20, 22.

XLVI. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiæ;*

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans,

Ex S. Aug. Ep. 250, Auxilio Episcopo; Tract. 50 in Johan. n. 12.

Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata; ad minus erronea.

§§ 21, 23.

XLVII. Item quæ tradit, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem præcedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto*, non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu,

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.

§ 22.

XLVIII. Item quæ pronuntiat, *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset*,

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa.

§ 24.

XLIX. Item quæ damnat ut nullas et invalidas *suspensiones ex informata conscientia*,

Falsa, perniciosa, in Trid. injuriosa.

Ibid.

L. Item in eo quod insinuat soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (Sess. 14, c. 1 de Ref.) suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendæ,

Jurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ læsiva.

De Ordine.

De Ordine, § 4.

LI. Doctrina Synodi, quæ perhibet, in promovendis ad Ordines hanc, de more et instituto veteris disciplinæ, rationem servari consuevisse, ut *si quis Clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur, qui ad Ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum, vel Sacerdotium, etiamsi inferiores Ordines non suscepisset : neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est ;*

§ 5.

LII. Item quæ innuit non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in Concilio Chalcedonensi; subjungens (§ 6); quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum Ministrorum conformavit Ecclesiasticum Ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu Ministrorum sanctuarii;

§ 7.

LIII. Item quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§ 3) Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta,

1. Sive quibus Ordinationes per saltum vetitæ sunt,

2. Sive quibus pro Ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt Ordinationes, sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino Ordinatio ad titulum patrimonii: salva obedientia, qua sic Ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit,

3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares: Quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter, et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent,

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, Ordinis pro Ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per Canones, et speciatim per Trid. Decreta probatam, injuriosa.

§ 13.

LIV. Item quæ velut turpem abusum notat unquam prætendere eleemosynam pro celebrandis Missis, et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *Stolæ*, et generatim, quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum, aut cujuslibet parochialis functionis occasione offerretur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent Ministri Ecclesiæ, dum secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum, utuntur jure promulgato ab apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur,

Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque Ministros injuriosa.

§ 14.

LV. Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli Cleri (quo nomine inferiorum ordinum Clericos designat) a Cathedralibus et Collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos, et provectioris ætatis Laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis, et aliis Officiis velut Acolythi, etc. ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis Officia, non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis redacta erant;

Quatenus reprehendit institutum quo cavetur ut *minorum Ordinum functiones per eos tantum præstentur, exerceanturve, qui in illis constituti, adscriptive sunt* (Conc. Prov. IV Mediol.): idque ad mentem Tridentini (Sess. 23, c. 17), *ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ad apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ juxta sacros Canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur*,

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa; servandæ, quoad fieri potest, in celebrandis Mysteriis decentiæ imminutiva; in minorum Ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per Canones, et speciatim per Trid. probatam injuriosa; favens hæreticorum in eam conviciis et calumniis.

§ 18.

LVI. Doctrina, quæ statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ provniunt ex delictis in jure expressis ullam unquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem,

Æquitatis et moderationis canonicæ a sacro Concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans,

§ 22.

LVII. Præscriptio Synodi, quæ generaliter et indiscriminatim, velut abusum

rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale Beneficium uni eidemque conferatur : Item in eo quod subjungit, certum sibi esse, juxta Ecclesiæ spiritum, plusquam uno Beneficio tametsi simplici neminem frui posse,

Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini, Sess. 7, c. 5; et Sess. 24, cap. 17.

De Sponsalibus et Matrimonio.

Libell. Memor. circa Sponsalia, etc. § 2.

LVIII. Propositio, quæ statuit Sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad Sacramentum, non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ,

Falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam a Sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.

De Matrim. §§. 7, 11, 12.

LIX. Doctrina Synodi asserens, *ad supremam civilem Potestatem duntaxat originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia*, quod *jus originarium* præterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum;* subjungens *supposito assensu vel conniventia Principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit, in Christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ Matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare,

Canonum 3, 4, 9, 12, Sess. 24 Concil. Trid. eversiva, hæretica.

Cit. Libell. Memor. circa Sponsal. § 10.

LX. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut e *numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniani*, tum ut *res-*

tringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis, ad quartum gradum, juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ;

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta, vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis,

Libertatis, ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.

De Officiis, Exercitationibus, Institutionibus ad religiosum Cultum pertinentibus, Et primum de adoranda Humanitate Christi.

De fide, § 3.

LXI. Propositio, quæ asserit *adorare directe Humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem fore semper honorem divinum datum creaturæ;*

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem Fideles dirigunt ad Humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua Humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se, et tanquam nuda caro, sed prout unita Divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potiùs una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,

Ex. Concil. C. P. V. Gen. Can. 9.

Falsa, captiosa, pio ac debito cultui Humanitatis Christi a Fidelibus præstito ac præstando detrahens, et injuriosa.

De Orat. §. 10.

LXII. Doctrina, quæ devotionem erga Sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata,

Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apost. Sedem injuriosa.

De Orat. §. 10; *et Append.* n. 32.

LXIII. Item in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant Sanctissimam Carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam Humanitatem totam, cum separatione aut præcisione à Divinitate, adorari non posse cultu latriæ;

Quasi Fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel præcisione à Divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe Personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione à Divinitate adorabile fuit in sepulchro,

Captiosa, in Fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

De Ordine præscripto in piis exercitationibus obeundis.

De Orat. §. 14 *Append. n.* 34,

LXIV. Doctrina, quæ velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum, et piarum salutationum;*

Tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum, vel externarum actionum præfinientis, pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati Fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.

De Pœnit. §. 10.

LXV. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt Exercitia, vel Missiones, ... forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura,*

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pio, salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato injuriosa.

De modo jungendæ vocis Populi cum voce Ecclesiæ in precibus publicis.

De Orat. §. 24.

LXVI. Propositio asserens, *fore contra apostolicam praxim, et Dei consilia, nisi Populo faciliores viæ pararentur, vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ*;

Intellecta de usu vulgaris linguæ, in liturgicas preces inducendæ,

Falsa, temeraria, ordinis pro Mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

De Lectione Sacræ Scripturæ.

Ex nota in fine Decr. de Gratia.

LXVII. Doctrina perhibens a lectione sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare*, subjungens ultro se prodere obscurationem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates religionis,

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.

De proscriptis in Ecclesia publice legendis.

De Orat §. 29.

LXVIII. Laudatio, qua summopere Synodus commendat Quesnellii Commentationes in novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta; eademque Parochis proponit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque Paræciis populo post reliquas functiones perlegant,

Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiæ injuriosa, schisma fovens, et hæresim.

De sacris Imaginibus.

De Orat. §. 17.

LXIX. Præscriptio, quæ generaliter et indistincte inter Imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat Imagines Trinitatis incomprehensibilis,

Propter sui generalitatem, temeraria ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria; quasi nullæ exstent Imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ, ac tuto permittendæ.

Ex brevi *Sollicitudini nostræ*. Bened. XIV, an. 1745.

LXX. Item doctrina, et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim Imagini solent Fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere,

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiæ ordini injuriosa, quo *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.*

Ex S. Aug. Ep. 78, Clero Senioribus, et universæ Plebi Ecclesiæ Hipponensis.

LXXI. Item quæ vetat ne Imagines præsertim B. Virginis ullis titulis distinguantur præterquam denominationibus, quæ sint analogæ Mysteriis, de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent Imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat,

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi Beatæ præsertim Virgini debitæ injuriosa.

LXXII. Item quæ velut abusum extirpari vult morem quo velatæ asservantur certæ Imagines,

Temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad Fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

De Festis.

Libell. Memorial. pro Fest. reform. §. 3.

LXXIII. Propositio enuntians novorum Festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis earumdem Solemnitatum originem duxisse,

Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

6*

Ibid. §. 8.

LXXIV. Deliberatio Synodi de transferendis in diem Dominicum Festis per annum institutis; idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait Episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi diebus, in quibus, ex pristina Ecclesiæ lege, viget etiamnum id præceptum: tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis;

Quatenus adstruit Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro Festis, jejuniisve celebrandis; aut indictum Missæ audiendæ præceptum abrogare,

Propositio falsa, juris Conciliorum generalium, et summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.

De Juramentis.

Libell. Memorial. pro Juram. reform. §. 5.

LXXV. Doctrina, quæ perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis divini Præceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus homine Christiano indignus*: insuper *continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse*, indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ Curia ecclesiastica, jurisprudentiæ feudalis, ut ait, normam secuta in Investituris, et in sacris ipsis Episcoporum Ordinationibus adoptavit: Statuitque adeo implorandam a sæculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in Curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali,

Falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris ecclesiastici læsiva, disciplinæ per Canones inductæ et probatæ subversiva.

De Collationibus ecclesiasticis.

LXXVI. Insectatio, qua Synodus Scholasticam exagitat, velut eam, *quæ viam aperuit inveniendis novis, et inter se discordantibus systematibus*,

quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum, et laxismum;

Quatenus in Scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt,

Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et Doctores, qui magno catholicæ Religionis bono Scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis.

Ibid.

LXXVII. Item in eo quod subdit, *mutationem formæ regiminis ecclesiastici, qua factum est, ut Ministri Ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici, et sollicitudinis pastoralis;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ et probatæ obliterari unquam potuerit, et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii, pastoralisve sollicitudinis,

Propositio falsa, temeraria, erronea.

§. 4.

LXXVIII. Præscriptio Synodi de ordine rerum tractandarum in Collationibus qua posteaquam præmisit, *in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis, ab eo quod est proprium disciplinæ*, subjungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo quod est inutile, aut onerosius, quam libertas Filiorum novi fœderis patiatur, magis vero ab eo, quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem, et materialismum:*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et præscripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem, et onerosiorem, quam libertas Christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem, et materialismum,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiæ, ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.

Convicia adversus aliquas sententias in Scholis catholicis usque adhuc agitatas.

Orat. ad Synod §. 2.

LXXIX. Assertio, quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias in Scholis catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit;

Falsa, temeraria, in Scholas catholicas injuriosa, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogans.

De tribus regulis fundamenti loco a Synodo positis pro reformatione Regularium.

Libell. Memorial. pro reform. Regularium.

LXXX. Regula 1. quæ statuit universe et indiscriminatim *statum regularem, aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ Hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ Monasticæ principiis.*

Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres et Præsules, qui regularis vitæ instituta cum Clericalis Ordinis muneribus consociarunt, injuriosa pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori, Summorumque Pontificum Sanctionibus contraria: *Quasi Monachi quos morum gravitas, et vitæ, ac fidei institutio sancta commendat*, non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ *Clericorum Officiis aggregentur.*

Ex S. Siricio Epist. Decr. ad Himerium Tarrac. c. 13.

LXXXI. Item in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines Mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desideranda fuisset,

Scandalosa, in sanctissimos Doctores injuriosa, impiis damnatorum Auctorum contumeliis favens.

LXXXII. Regula 2 *Multiplicationem Ordinum, ac diversitatem naturaliter*

inferre perturbationem et confusionem : Item in eo quod præmittit, §. 4. *Regularium Fundatores*, qui post monastica instituta prodierunt *Ordines superaddentes Ordinibus*, *Reformationes Reformationibus nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare ;*

Intellecta de Ordinibus et institutis a sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parare debeat,

Falsa, calumniosa, in sanctos Fundatores, corumque fideles Alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices injuriosa.

LXXXIII. Regula 3, qua postquam præmisit, *parvum Corpus degens intra civilem societatem*, *quin fere fit pars ejusdem*, *parvamque monarchiam figit in statu semper esse periculosam*, subinde hoc nomine criminatur privata Monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias,

Falsa, temeraria, Regularibus Institutis a sancta Sede ad Religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem Instituta insectationibus et calumniis.

